

Lesson

~~Dr. H. H.~~ n. 97.

Josuae Schwartza

PISTOLA CURIOSA.

M. DC. LXXXIX.

VERGEGENSTELLUNG

AN WILHELM PFEFFER

AM 22. JUNI 1688.

AN DER UNIVERSITÄT MARBURG

APPROBATIO SUPERIORUM.

Postquam ne à nostri quidem ordinis primoribus alienum habetur, ut manticæ quòd in tergo est non videant, circa notanda aliena perspicacissimi: ideo & Reverendissima sua Eminentia Schvvartziana, cui alias librorum censura hic locis competit, circa æstimandum huncce ingenii sui fætum proprio judicio diffisa fuit, eoque istius censuram nobis humillimis ejus Eminentiae servitoribus clementissime delegavit. Nos igitur hoc scripto summa cum attentione perlecto deprehendimus, mores suæ Eminentiae, ac intima animi sensa hic velut in speculo repræsentari, atque ad imitandum exponi omnibus illis, qui parem nominis claritatem affectant. Igitur dignum hoc scriptum judicamus, quod publicam lucem adspiciat. Datum Slesvigæ d. II. Julii Anno 1688.


NICOL. NICOLAI,

ad Mich. Pastor.



NAAMANNUS JESSEN,

Pastor Friderico - Montanus.



Insulsissime, & in filii vicem ob morum similitudinem dilectissime Privigne,



Uod ab adolescentia omnibus votis expeti-
vi, ut nomen meum fuliginosum quovis modo ad ali-
quam claritatem provehherem, id tam facili negotio à
me obtentum, futili Indice in Samuelis Pufendorfii Li-
bros de Jure Naturæ & Gentium consarcinato, sum-
mopere gaudeo, mihiq[ue] ipse miros plausus intra præ-
cordiorum amphitheatrum do. Idque gaudium nunc
duplicatur, quod in te insignem partem ejus celebritatis transfundи conspicio,
postquam ab te mei defensio tam memorabili scripto suscepta est; cuius in-
dolem pluribus verbis extollerem, nisi putidum haberetur proprias laudes de-
cantare; quod nemo non agnoscat, me revera istius scripti, quo memoratum
virum maledictis lacerare instituimus, esse architectum, autoremque, utpote
meo jussu adornati, & à me suggesta materia, utut abs te stylus inquinatissi-
mus, & obscenissimam beanitatem redolens sit adhibitus. Nam hunc saltē
abs Te conferri par erat, ne gratis aditu in Templum Gloriæ potiaris, ante cu-
jus vestibulum Fama bubulo cornu festivum resonans te excipit, nomenque
ac labores tuos omnibus illis commendat, quibus improbitas & impudentia
cum barbara ruditate conjuncta inter præcipuas virtutes habentur. Cæte-
rum edito in lucem nostro scripto ante omnia gratulari nobis debemus, quod
exofissimi adversarii dicacitatem tam strenue ulti simus, suppeditatis
chartis, queis nullus alius nisi ad præfandas necessitates usus sit. Et
quanquam eo modo nostrum quoque nomen in malevolentia barathra præ-
cipitandum sit, solatio tamen fuerit, hostis quoque nomen nostro scripto il-
litum in eadem loca pertraxisse. Gloriosum quoque est, à me specimen ex-
hibitum impleti à me Episcopalis officii, quod Apostolus inter alia in eo con-
sistere pronuntiat, ut liberos habeat morigeros in omni disciplina, non illa
quidem, quæ exercendis virtutibus Christiano homine dignis absolvitur,
sed quæ calumniando, convitiando, mentiendo se exserit. Sine dubio

enim tu deinceps allegaberis specimen virtutis à parente in filios propagata; ac deinceps vix illustrius exemplum adduci poterit confirmingo veteri dictatio; mali corvi malum ovum. Etsi enim natura tibi pater non sum, educatione tamen & cura ita omnes numeros paterni officii implevi, ut improbitate calumniandi jam meipsum, meosque in oppugnando Pufendorfio collegas superare velle videaris. Macte hac virtute, mi Porcelle, (agnoscis blanditos maternas, vernaculæ tuæ lingvæ usitatas,) qua Nicolao Beckmanno deinceps par ibis, cuius & scribliginem scribendi, si paulum diligentiae adhibere placeat, exprimere tibi arduum non erit. Cæterum ut eo solidius tibi gaudium surgat, quod primo labori tuo fama tam propitia adspiraverit, paucus tecum hac epistola garrire institui super via inclarescendi, quam ego facillimam expertus sum: tum & eminentiores flosculos è nostro scripto delibabo, eosque velut digitis conteram, ut eorum fragrantia eo fortius nares lectorum feriat. Nam uti rarissimum est, primo tirocinio perfectum artificem exprimere; Ita à me paterne & episcopaliter monendus es, exquisitiore memoria, & magis accurata fingendi solertia tibi opus esse, si mendacia tua non propriam per absurditatem destrui velis.

Inclarescere igitur, ac ad celebritatem nominis pervenire, uti in infinita turba summi boni merito summum habetur: ita diversis viis ad idem grassari diversi laborant, sed quæ non omnes pari facilitate calcantur. Qui obsoletam philosophiam sectantur, virtutis exercitium crepant, velut solidissimam gloriæ assequenda rationem. Sed famam extendere factis non pro nostro captu est, quibus è sordide admodum luto finxit præcordia Titan. Alii exquisitam eruditionem ostentant, & scripta seculi applausum merentia. Sed & ista via haut proclivis est ratescente indies materia, quæ ab aliis non sit occupata. Et quid ab illis dici possit ad palatum studiosi seculi, quorum tota eruditio lectione paucorum libellorum pedanticorum, & compendiorum, locorumque communium, & manipulis aliquot distinctiuncularum è Scholasticorum inerudite subtilium minutiloquentiis absolvitur. Inprimis autem eorum Theologorum stoliditatem, sœpe mecum in sinu risi, qui totam ætatem inter libros pallorem contrahunt, ut opus aliquod Ecclesiæ proficuum procudant, aut juventuti ad studia sacra viam præeant. Nam præterquam quod hisce immensus labor modico fere emolumento est devorandus, nondum liquido iisdem cautum est de fama inde redundatura, quod facile cavillari liceat, de suo istos nihil contulisse, præter exscribendi aliorum tradita solertiam. Et quid frequentius est, quam ut musca quæpiam mei similis proluviem suam ejusmodi viris, eorumque scriptis adspergat obtentu unius aut alterius loci non ad nostrum gustum expressi; quippe cum à nostro supercilie, nasi que nostri rugis uni-

ce

ce examinatæ orthodoxyæ puritas, cui quicquid probatum non fuerit, saltem Novitatis elogio aut Fanaticismi infamandi jus est, si aliud hæreseos vocabulum non succurrerit. Ast quam ego ad quærendam claritatem ingressus sum viam, pronissima est, & mirum quam compendiosa, & quæ nunquam votis te tuis excidere patiatur. Nempe ut ipse quidem à laboriosis te operibus subtrahas, & aliquem virum non obscuri nominis, cui scriptum quoddam non sine applausu seculi fuit publicatum, hæreseos, fœdorumque errorum magno cum strepitu reum peragere instituas, inque eundem malevolorum aut rudium hominum clamores excitare satagas. Si enim, qui ita invaditur, ad famam suam vindicandam excitatur, jam indictum bellum est, plus chartæ & atramenti, quem humani sanguinis absunturum; cujus gloria maximam partem in ejusdem autorem redundat, qui & si sapit, meo exemplo Eridis pomo in medium projecto extra clamores rixantium se subducet, ac in antro suo intima cum animi titillatione secum volvet illud muscæ Aesopicæ dictum, temoni insidentis: quantum pulverem egò excitavi! Sed & quod hanc inclarescendi viam cumprimis commendabilem reddit, ad invadendam hancce dictaturam non opus est exquisita eruditione, aut singulari aliquo ingenii acumine; quin sufficit superfunctoriam controversiarum theologicarum notitiam hausisse, & zelo citra discretionem flagrare, aut eundem assumto schemate hypocritico simulare. Et quid facilius est, quam in materia cumprimis parum protrita rufpari aliquid, quod cavillatione derorqueri possit? Aut clamitare, propositionem aliquam esse vicinam traditis ab alio quopiam scriptore exoso, aut à quo Magistri nostri vulgo dissentire solent? Ubi semel commissa pugna sit, licebit autori post si parium sese abdere, ludorumque à se editorum spectaculo frui; aut si asperiora ad ipsum quoque tela penetrant, improbum aliquem convitiatorum tui similem mi Wildschyssi, subornare, nulla fronte, nulla existimatio ne, qui adversarium obscenis convitiis & calumniis protelet, ac pædore sor dibusque oppletum arceat. Ut autem impune nobis sit honestos viros diffamasse, aut tumultum frustra excitasse, favor nostri ordinis præstabit, & pallium illud ad talos descendens, quod sæpe eodem jure ministrum Ecclesiæ tegit, quo purpura histrionem in theatro personam regis repræsentantem. Et quantum privilegium est, per quod nobis pro lubitu insultare indulgetur, qui cunque in odium nostrum incurrit; modo mentiamur ab hoc quopiam orthodoxyæ discrepantia doceri? Id enim vocabulum ubi increpuit, & ubi ista periclitari arguitur, jam nobis omnia licent in eum, quem istius violatae accusare instituimus. Non fecus atque olim Romæ, cum SCto Consulibus injungeretur, viderent, ne quid respublica detrimenti caperet, his dictatoria quædam potestas conferebatur, citra formam processus opprimendi, qui adversa Reip. agitare credebantur. Quod privilegium, per nos-

metipsos nobis gratiōse indultum , tanto majoris habendum est , quod nobis ad orthodoxiam non sufficiat , si quis omnia in sacris literis , librisque Ecclesiæ nostræ symbolicis contenta , plene ac sincere profiteatur ; sed fas nobis est orthodoxorum numero excludere , si quis etiam à libellis logicis metaphysicis , aut ethicis quos dum in Academiis morabamur , memoriae mandavimus , vel latum ungvem discedat ; quin imo si quis aliqua tradat , quæ per stuporem & inscitiam nostram assequi non possumus . Quare enim id nobis non liceat , cum rustico cuiquam vitio non vertatur , si literas Chinensium præ characteribus magicis habeat ? Nec est quod metuamus , ne eo nomine injuriarum actione pulsemur . Nam haut temere cordatum virum cum sacerdote litigaturum , etiam pervulgatum dictum ostendit . Et ubi nostri ordinis hominibus cognitio defertur , nobis nihil duri metuendum esse , alio proverbio confirmatur . Cæterorum autem quibus negotia vitae civilis nugarum scholasticarum oblivionem dudum induxere , quotusquisque est , qui talia rite perspicere , suoque pretio æstimare novit ? Et ut pessime nobis omnia cādant , calumniæ convictis mollissima increpatio summa pæna est , conscientiæ stimulos , officiique nostri rationem , piæque intentionis sinceritatem subinde crepantibus . Interea si alia via non suppetit virus nostrum evomendi , è cathedra sacra velut è plaustro convitia & calumniæ jaciuntur , ubi rude vulgus , & amiculæ . ancillæque hianti ore attonitis similes nos adspiciunt , quando intensa voce , vultuque inflammati , ac feroci gestu in perniciosa dogmata recens prognata declamamus . Hanc igitur inclarescendi viam omnibus , quos par mecum spiritus agitat , etiam atque etiam commendo ; de cuius felici successu mea experientia satis cavere potest . Ediderat adversarius meus , (cujus nomen pari horrore mihi est , atque rusticis lupi , quod & ideo exprimere formidant ,) librum argumento non admodum protrito , cuius primus excultor Hugo Grotius multa adsperserat . Theologis parum probata . Ea quanquam adversarius studio præteriisset , ac solcite prospexisset ; ne quid theologici dogmatis admiscejet : tamen mihi ambitione inclarescendi ardenti , ac succo loliginis turgentí in proclivi erat nonnulla beanis parum cognita malitiosa interpretatione depravare , velut cum heterodoxis conspirantia . Et commodum mihi accidebat , quod post projectum à me pomum Eridis silentium mihi imperaretur . Nam alias turpiter admodum me daturus fueram , si demonstrandum mihi fuisset , singula capita , quorum adversarium accusabam , ab eodem doceri eo sensu , quem mihi fingere placebat . Nam circa pleraque vel ruditas mea , vel malitia misere vapulatura erat . Enimvero bono meo fato inventus est , qui Indicem à me compilatum , meo , an alterius cujuspam , an proprio instinctu nihil attinet dicere in Germania publicaret ; ubi inventi sunt rixosi aliqui homines , qui ut & ipsi supra vulgus sapere viderentur , ansam inde arripuerunt super quæstionibua nonnullis

philos.

philosophicis magis quam theologicis, theologica tamen vehementia, discep-
tationis serram reciprocandi. Quibus cum adversarius odiosam suam stylis
acerbitatem opposuerit, & aculeis suis istos denso alias corio & ad palim pse-
fti usum idoneo tectos ad vivum pupugerit, clamosissima rixa jam à malefe-
siatis per tria lustra fuit extracta. Quicquid ergo gloriæ ex hoc certamine
socienni mei reportarunt, ejus maximam partem meo jure mihi vindico. Si
enim ego istis calumniando non præivissem, haut temere iisdem occasio futu-
ra fuerat stultitiam, & scordes animi sui tantopere apricandi, ac orbi eruditio-
tam festivos ludos dandi. Ac jam demum tuo, privigne delicatissime, scrip-
to tantum fulgoris nomini meo accessit, ut ejus obtutus ad instar Moysis è
monte Sinai descendenter oculos aliorum perstringat, seu quod Vulgata signi-
ficantius exprimit, ut facies mea cornuta adpareat. Sic ut necessum videa-
tur, ne fulgor iste multorum oculos hebetet, larva tectum deinceps ad mo-
rem bacchanalia celebrantium incedere, aut fuliginis quid mihi aspergere, ne
colorem penitus animo meo inolitum plane exuisse videar.

Cum igitur sumnum claritatis fastigium, ad quod toto vitæ meæ
tempore adspiravi, tuo maxime scripto nitatur, quod & tibi aditum ad fa-
mam, & pingvem forte Præposituram pandet, non abs te videtur extantiores
ejusdem gemmulas paulo penitus perlustrare quo earum nitor eo clarius in
omnium oculos incurrat. Nam non omnibus ea est ingenii perspicacia, ut
quid æra lupinis distent, possint discernere; & inusitati generis est tua ele-
gentia, cuius delicias æstimare non est cujusvis. Ac sanc haut me fugit,
multos fore, nescio quam literarum politiem amantes, qui de scripto tuo in
universum judicaturi sunt, id exprimere genium juvenis alta barbarie immer-
si, cui adhuc à virgis nates rubeant, qui tamen impudentia mentiendi, & im-
probitate convitiendi & calumniandi cuivis veterano balatroni palmam red-
dere ambiguam valeat. Sed istorum hominum judicia tibi flocci
sunt facienda, quibus adversarius noster se adprobare mire studet. Nam si
quicquid scriptorum quotannis in publicum editur, fastidiosorum istorum
hominum gustui attemperatum esse deberet, tabernæ librariorum vix quid-
quam materiæ aromatariis præberent. Et indecorum tibi fuerat, supra ve-
nerabilem tuum vitricum sapere velle. Et quis à nobis aliud quid unquam,
quam pertæsarum sellarum instrumenta expectavit? Igitur sufficiat tibi me-
um suffragium, qui ex animo lætor conspecto isthoc specimine, quo pate-
bit, quantum in mea disciplina profecerit. Ego enim tibi ab infantie pabu-
lum præbui; ego rudimentis eruditionis valde furfuraceæ imbui te curavi;
per me munere aliquo facio potiri potes, quod per totam vitam faciendo ven-
tri tuo sufficiat. Num iniquum est, si in mei gratiam asinus scurra, furcifer, ne-
bulos, & quæ alia mereris elogia audias? cum id existimationi tuæ nocere nihil
queat, quam nullum habes. Tu modo memineris, postquam semel verecundia
& honestatis limites transiliisti, oportere te gnaviter impudentem esse; ac si

partum decus tueri velis , frontem tibi fortiter esse perfricandam . Ac præcipue insuper habendum , quid unus & alter langvide theologizans ganniat ; paibuli magis quam sacerdotii candidatum tale specimen docere ; ac cuiusvis robustioris flagitii capacem esse , ubi in bovem adoleverit , qui juvencus , & humili adhuc cornu tam proterve insultare potuit . Nam nobis ipso Apostolo autore per dñs Phniciā ad claritatem nominis graffari licet , ubi per cōf. Phniciā id operosum nimis videtur . Sed nec alio quam impudentiæ clypeo tecti videmur consistere posse adversus aculeatum adversarii stylum , cuius fiducias is adeo in sui conservationem obduruuisse videtur , ut tot latratoribus licet circumstrepentibus haut terreatur , quo minus ingruentes asperime depexos det , propriisque admodum & significantibus vocabulis corundem iadolem , artesque & conatus notet ; cum ab initio , quando ego litem ipsi intendere meditabar , spes esset , levi impulsu pallii mei umbra , ac barbæ Windrupianæ majestate ad terram fore prosterendum . Cum igitur tam acriter adversarius resistat , saltem vapulando , & ad ambubajarum instar convitiando istum delassare artificium nobis erit . Quin & nisi ab impudentia præsidium petamus , vix adparet , quomodo causam nostram etiam nostri ordinis hominibus adprobare queamus ; illis dico nostri dissimilibus , quibus moderationis & prudentiæ laus in aliquo pretio est . Hos enim differentes subaudio ; se quidem neque in vita & moribus , neque inscriptis adversarii potuisse observare quid , quod atheismo , aut Sociniano dogmati faveat , multa contra quæ ad utrumque destruendum faciant , animumque arguant ab utroque valde abhorrentem . Igitur admodum immodestum atque imprudens esse , tale quid alteri objicere , quod si distincte & perspicue probare jubearis , non possis non vel obmutescere , vel jejuna cavillatione malitiam aut rudiment tuam prodere . Neque enim sufficere dixisse , ab hoc vel illo tradi principia atheo - sociniana , sed oportere , ut sigillatim ostendantur loca illa , quæ talia dogmata contineant , per quæ vel existentia ac providentiâ DEI , vel ejus cultus atque religio subvertatur , & quæ cum hac consistere non possint . Id ubi clare demonstrari nequeat , eo foediorem fore nostram maledicentiam , quo gravius crimen habetur , vel omnem religionem abnegare , vel Christianæ religionis mysteria ita enervare , ut Christiano nomine non amplius digna sit . Enim vero mihi Wildschyssi , istorum hominum enervem sapientiam ego quidem alto supercilie despicio ; quin si me gravius urgeant , in promptu est Syncretistæ aut Quackeri vocabulum , quod statim in os sit ingenerendum , si meam inclarescendi methodum probare nolint . Nam hæc quidem mihi γνησίως orthodoxi Theologi nota est , aut , ut elegantius dicam , proprium in quarto modo , zelum absque discretione ubique ostentare ; nullam excusationem aut idoneam interpretationem admittere ; quod semel damnaveris , jure an injuria , intellectum vel non intellectum , pertinaciter insestari , & ubi alia tela non suppetant , mendaciis , calumniis , atrocissima-

rum

rum hæresium, & 'cum primis atheisni tam familiaris nobis convitio urgere. Si vel tritum seqvi velis qvod id languidi quidam theologi sanam rationem vocant, statim tepidus eris & ex ore Domini expuendus. Et cum jure meo postulare queam, Spiritus Sancti assistentiam insolubili nexu cum pallio meo esse conjunctam, etiam in negotiis, quæ extra professionem meam, aut citra debitam notitiam suscipio; cur privilegio meo ipse derogare debeam: aut cur non ambitionem, invidiam, & malitiam meam pro pio Zelo venditare possim, ac pro enixo studio tuendæ religionis, etiam si alter de hac oppugnanda nunquam cogitavit? Nam si Politicis fas est, foïidas causas à prætextibus discerneret, & illas quidem dissimulare, has apud vulgus jactare; quare non & mihi liceat Tumultibus à me excitatis speciosa nomina prætexere, veras causas supercilii ac pallii modestia obtegere? Et postquam homines per vocabula non res solum sed & vel maxime affectus suos exprimere soleant; quare non & mihi fas sit immiane & irreconciliabile odium, qvod quibusdam theologicum vocatur, convitiis quæ atrocissima invenire potui, insinuare? Denique memoria excidisse non potuit, privigne delicatissime, sententia illa, quam aliquoties ex me audivisti: si diabolus sacerdotes agitat, haut superfundetorie eos agitari seu uti Teutonicò idiomate nervosius id sonat; Wenn der Teuffel die Pfaffen reitet / so reitet er sie rechtschaffen. Ejus effati veritatem tibi meo exemplo demonstrare volui; qvod & tu calamo tuo luculenter repræsentasti, ac ubi cum ætate furor incrementa sumserit, non dubito quin vel me magistrum superaturus sis. Postquam igitur camelos deglutire nobis integrum est, muscas percolare supervacuum fuerit. Ac si tam atrocia alteri citra fundamentum, aut ullam veri speciem objicere præclarum habetur, quare modicis quoque mendaciis & calumniis eundem adspergere vereamur? Nam qvod subinde quædam admisces, quæ vel in se vituperanda non sunt, vel in me quoque retorqueri possunt, vesaniæ juvenili imputandum fuerit. Quanquam autem non suspicor aliquem fore tam audacem, qui in dubium revocare audeat hypothesin, quam universo tuo convitiandi adparatui substravisti, tamen ne quis contra hiscere audeat, paulo liquidius eandem deduci ad causam nostram non parum interest. Manifestum est igitur, litem, quæ ab initio adversario intendebatur, à dogmatum & rationum disceptatione ad mera convitia & maledicta, verborumque aculeor & scismatico devolutum. Qvod cum non omnibus ad palatum sit, opera danda est ut quicquid ejus invidiæ aut culpæ fuerit, unice in adversarium devolvatur, ego meique socii manus cum Pilato lavemus, atque ab omni labe immaculatos nos pronuntiemus. Id qvod non alia ratione compendiosius fieri posse arbitror, quam si velut primam veritatem, & extra omnem dubitationis aleam positam statuamus; mihi, meique similibus indultum divinitus privilegium quoque placuerit hærefoes argendi, etiam prius non admonitos, neque expectata eorundem interpretatione & explications, Contra istis, qui arguuntur, nefas esse aduersus nos

mutire sed iisdem patienter & citra contradictionem hærescos & atheismi
crimen agnoscendum; qvin si nobis ita placeat, rogum citra tergiveratio-
nem subeundum. Tum majestatis divinæ in legatis ejusdem plenipotentiariis
violatæ reatum contrahi, si qvis neget à se talia, qvalia nos pertendimus, sta-
tui; aut si idem ostendere audeat, à nobis verbæ & sententias ipsius malitiose
detorqveri; multoqve magis, si invidiæ, aut calumniæ, aliarumqve prava-
rum artium idem nos insimulet. Equidem credo, multis λιάν μὲγα αἴημα,
grande nimis postulatū iri visum, illis scilicet qui negare nō horrent, omnes tur-
bidos affectus, qvibus ego mei que similes creberrime agitamus, Spiritus San-
cti impulsus esse; nec ideo bonis viris necessitatē impositam ut aliorum
se libidini proculcandos exponant, qvia obrectatores ipsorum talare palleum
& pilcum serico obductum gestant. Haut eo minus id mordicus est tuen-
dum, & si qvis contradicere audeat, in eum citia moram anathema vibran-
dum. Quid enim? cur minoris nobis videamus, qvam Pontifex Romanus,
cum non minores qvam hic spiritus geramus. Et cum is qvinqve proposi-
tiones in libris Jansenii damnare potuerit, qvas tot eruditi viri etiam per-
spicillis naso admotis invenire non potuerunt: qvare mihi non liceat vel
misce hæreses in libris adversarii fingere, de qvibus ipsi forte ne per somnum
qvidem in mentem venerit? Hac igitur hypothesi salva ille utiqve hæ-
reticus, Socinianus, atheistus est, qvicqvid contratestetur, & ad scripta sua, ad
sermones suos, ad vitam in celebritate actam, ac magnis qvoqve Regibus,
Principibusqve probatam provocet. Et si à nobis injuriam sibi factam, &
sententiis ac verbis suis vim illatam queratur, multoqve magis, si afios &
calumniatores nos nuncupet, uncontos Domini sacrilego modo violasse cense-
bitur. Cum igitur divinitus mihi concessa sit potestas ad destruendum
& perdendum adversarium, illi autem contra hiscere piaculum sit, justum
qvoqve piumque habendum erit, qvicqvid vesaniæ nostræ in istum evomere
libuerit. Id qvod privilegium, oppido qvam favorable, eosqve ampli-
andum videtur, ut quia mihi jejuna admodum & ludibrio obnoxia dictio
est, qvæ acerrimum peccinem adversarti expertura fuerat, & qvaliscunqve
pudor Generalis Superintendentialis me cohibet, minus fœdam animi sani-
em in conspectu orbis eruditæ evomeam, subornare mihi liceat sterquilinium
aliqvod hominis, sine existimatione, sine pudore, qvod fœdissimo modo in
viros honestos & honoratos debachetur, totamqve latrinam effundat. Si e-
nim insanire mihi per me licet, qvid prohibet, qvo minus insaniae meæ mi-
nistrum substituam, à qvo præter oleta nemo quid expectat, quod jam toto
schemate stercus præse ferat. Et vel ideo tale furoris instrumentum adhi-
beri decebat, ut eo minus erubescendum foret proprias laudes, valde qvi-
dem eas jejunas, decantare, quas ego publicari dudum ardebam. Qvod qvi-
dem cum tam egregie præstiteris par erat à me tibi condignum elogium repo-
ni, ut mutuo muli scabere diceremur; ni proprium tibi jam monumentum
rexisses, cuius singulæ lineaæ insignem vesaniam aut malitiam spirant.

Cæte-

Cæterum ut paulo propius ad nonnulla scripti tui loca illustranda aec-
cedam, mi privigne ad porcelli instar jucundissime, in *prefatione* qvidem tu plau-
fibles rationes comminisceris, qvare tam aspere ab adversario perstrictus huc
usqve intra silentium me continuerim: arcanam tamen ejusdem causam non
amplius apud te dissimulare debo. Postqvam enim articulos Indicis mei
confarcinassem, persuaseram mihi adversarium meum tam fore stolidum, aut
rerum theologicarum imperitum, suiqve adeo ipsius oblitum, ut istos omnes
& singulos tanqva suos esset agnitus, eorumqve defensionem suscep-
tus. Ast cum is negaret, talia asserere unqva sibi in mentem venisse, ac
ad oculum demonstraret artes, quibus ego usus essem ad pravos ipsi senten-
tias affingendas; aqua mihi statim hærebat, nec qvomodo ista me difficultate
extricarem adparebat. Ac sane collega meus, qvi tacite conatibus meis fa-
verat, ubi *Apologiam* adversarii conspexisset, quassato capite in hæc verba e-
rumpebat: Das hat der Teufel gesehen; qvod nempe genium disputationis,
qvem nos animo præceperamus, plane immutatum cerneret, ac præter pau-
cas qvæstiones philosophicas tota disceptatio huc devolveretur; an qvæ ego
finxeram à Putendorffio statuerentur, an minus. Id qvod hic negabat ac
pernegabat, idqve è claris libri sui verbis deduci posse contendebat. Unde
commodum valde mibi accedebat, qvod silentium mihi à superioribus esset
injunctum, qvod honestum colorem præbebat, qvare causam prave cæptam
non persegueret. Et nihilominus subinde licebat mussitare & baubari, cum
plenis faucibus latrare integrum non esset. Simul cum alii circa philo-
sophica qvædam rixari cum adversario instituissent, rerum imperitis facile per-
suadere poteram, non plane de nihilo fuisse, qvæ ipse movissem; ac mihi
velut agonothethæ sufficere gladiatores commisisse; ut ipse qvoqve in are-
nam descenderem infra fastigium meum esse. Nunc postqvam qvicquid
erat qvæstionum ad satietatem est discussum, tota demum disceptatio te
præcone ad meta convitia & maledicta fuit pertracta. Qvorum invidia si-
ne dubio in me velut autorem rixæ redundatura esset, nisi modo laudatum
privilegium nobis consuleret. Alias cum si adversario communi inter homi-
nes jure frui liceret idem mihi, Sociniana dogmata, ipsi impingere cupienti
mendacii opprobrium impuriqve calumniatoris titulum in os ingerere pote-
rat. Nam ejusmodi pestilentem doctrinam alicui affingere, sane vim atro-
cis maledicti atqve injuriæ habebat. Unde si vel max me ad nebulonis mo-
dum mentiri ab isto dicerer, injuria in me non admittebatur, sed retorsio
duntaxat adhibebatur; juxta dicta JCtorum, in qvæ ita nescio quo casu in-
cidisti. Ac notum est eruditis illud pronuntiatum Vespasiani super jurgio
cujusdam Senatoris Eqvitisqve Romani: non oportere maledici Senatoribus,
remaledici civile fasqve esse. Enimvero qvod juris in alios cadit, id adver-
sus me, meiqve similes pietatis Zelum mentientes adhiberi nequit. Nam si
ego alicui athea & sociniana dogmata falso objiciam, id jure meofacio; si iste
mentiri me & calumniari dixerit, injuriarum actione tenebitur. Unde & recte
sus

qvondam in furias ibat Fridericus Gesenius, qvod adversarius mentiri ipsum dixisset, dum scriptum qvoddam de polygamia ipsi attribuerat: cuius tamen autorem fuisse qvendam Holmiæ Doctorem Medicum ipse noram. Et cuius Gesenii scripto tu qvidem, mi Schwinhundi, luculentum admodum locum excerpisti velut flosculum, nostro cum primis ingenio mire congruentem; qualia divinorum hominum dicta oppido qvam ordinem nostrum, & officium, qvo superbimus, exornant. Sed & ut dictum *Mattb.* V. 10. à te adduxitum ad præsentem causam quadret necessum est, ut eidem à me pro autoritate pontificali adhibeatur interpretatio extensiva, sic ut beatorum numero & illi comprehendantur qui dum inclarescendi cupidine Indices Novitatum per omnes cavillandi artes confarcinant, eo nomine acriter vapulant dignamqve calumniatoribus mercedem accipiunt. Ita porro verba præfationis tuae non parum obscure posita sunt, qvod dicis adversarium nostrum *cum ipsis vetulis & mulieribus in publicum jam certamen descendisse*. Ne igitur is locus lectori crucem figat, paucis monendum est, per ea verba innui Dominam Doctorissam Valentinam Albertam, qvæ mira metamorphosi sexum mutant, & bina jam prole puerperam se exhibuit, qvarum uni Eroti Lipsico, alteri Podagræ vocabulum est, qvam lepidissimam puellam singulari ad saltandum dexteritate ferunt cui compatrem me haut sanelubentem invitavit. Unde ex propria jam experientia librum est editurus de Arte obstetricandi ad analogiam status Paradisiaci, qvem omnes mulieres non minori desiderio qvam Judæi Messiam expectant.

Est autem scripti tui exordium eo nomine cum primis commendandum, qvod uno intuitu genium nostrum lectorum oculis subjicit, nil nisi vesaniam & furias spirantem. Sane haut meminisse videris Venerabilem tuum Vitricum pastoris in vico qvoddam Cassubiæ filium esse, dum alteri velut probrum objicis Ministro Ecclesiæ in Misnia ortum fuisse; qui & ipse in purpura non reptaasti. Ac mirum cordatis videri possit, dedecus jam haberi, si quis literis humanioribus probe à puero imbutus quo diutius in Academiis studia excolere possit, egregiorum adolescentum informationē suscipiat, ni in frontispicio scripti tui ostendisses abs te nihil sani expectandum esse. Sed juventati tuae ignoscendum est, mi Rozlæffeli, qvod ignoras, in tenui re constitutum propria industria ad eruditionem & fortunam non spernendam eluctatum, laude dignissimum esse. Sed nec illud sane homines digesturi sunt, qvare docto viro objiciatur, juvenili ætate juxta alia studia theologiae quoque operam navasse, & exercitii causa sermones qvosdam sacros habuisse, cum ne in ludis qvidem scenicis personam egisse, ut præsenti animo coram aliis loqui discas, turpe habetur: nisi forte id ferendum non est, Laicos in arcana disciplinæ nostræ penitus se immergere, ac inde fiduciam sumere de nostris rixis liberius judicandi. Istud cujus relatione percepitis mihi non constat, (nam id me tibi suggestisse non memini,) primum adversarii nostri in Svecia patronum Calvinianæ religioni fuisse addictum; cum Holmiæ notorium sit, istum in Lutherana

na religione & natum, & educatum, eamq; tota vita professum, & in eadē
mortuum. Et si istud à te fuit confictum, bubulum videris judicium habuis-
se alteri in probri locum objecisse, Reformati patris filios Lutherana sacra pro-
fessos informasse; cum Augustissimus noster Rex reformatis sacris addictam
Reginam in thorū assūmferit; Quem facile formido corripere possit, se à me
eo nomine excommunicatum iri. Nec io qvoqve, an id satis causæ nostræ qua-
dret, qvod totam adversarii theologiam è compendio qvopiam haustam bla-
teras. Nam melius meo actot virorum è nostro ordine pudori consultum vi-
deatur, si diceretur, istum in studio theologico id proficisse, ut non qvidem
doctor theologiæ sine prævio examine & specimine fieri potuerit, uti mihi
contigit satis tamen in ea disciplina callere, qvid æra lupinis distent. Nam
sane vehementer erubescendum est, tot luminaria Ecclesiæ unum tironem non
valuisse erroris convincere, omni cavillationū artificio incassum consumto; sic
ut demum nobis ad privilegium nostrum de impune calumniando sit confu-
giendum, aut de Hobbesio ganniendum, qvem neqve ego, neqve qvisqva
eorum, qvi Lundis tam inauspicatum bellum movebamus, legerunt, aut qvid
in eo tolerandum, qvid improbandum intelligebat. Qvæ de adversarii no-
stri vocatione ad docendi munus Heidelbergam ac Lundas tradis, à Nicolao
Beckman. mutuo sumta adparet, qvo bipede nemo unquam mentiendi opifi-
cium impudentius exercuit. Nam res ipsa loquitur, ut iste Heidelbergam vo-
caretur, libello ejusdem de Elementis Jurisprudentiæ Universalis effectum
fuisse: nec ad id commendationem patroni sui conferre qvid potuisse, cui
nullum cum Heidelberga commercium, qvi & ipsum in Sveciam pertrahere
maluisset. Nec minus constat adversarium & ab Heidelbergensibus iavitis di-
missum, & post ut eodem redire vellet invitatum. Cujus & colloquia super
statu Germaniæ, qvas jussu Serenissimi Electoris cum filio Principe habuit, ni-
hil plane ad nostram fabulam faciunt. In eo autem sane pro pietate tua fa-
cis, mi pulle, qvod non solum ita solcite titulos meos ingeris etiam per an-
ticipationem; sed & ingenti cum mea gloria Episcopum Winstrupium meum
suffraganeum, & à me dependentem ostendis, qvi bonus senex cum neqve
Hobbesii neqve Grotii libros de jure belli & pacis, neqve adversarii libros con-
spexisset, me solo affeverante carbonaria fide qvicqvid mihi fingere placeret
credebat. In eo te tamen furor tuus plane à bono sensu in transversum egit,
qvod adversario meo nihil plane recti aut justi tribuis, sed per omnia eum
damnas velut infausto plane sidere natum, cui ne mica qvidem boni viri
reliqua sit. Nihil promotionis iste suo merito obtinuit, sed omnia in imme-
rente aliena commendatione collata sunt; nihil unquam didicit, aut docuit bo-
næ frugis nihil bonarum artium adhibuit, qvibus Regum ac Principum gra-
tiam quæreret atqve conservaret: omnia per calumnias & pravas artes egit.
Atqvi ista tibi apud cordatos fidem plane destruunt; cum non omnes cœci aut
mente moti esse potuerint, qvibus mores ipsius, aut eruditio & scrip'ca non
parum probantur; qvorum judiciis aut favore iste fretus te tuiqve s. miles pa-

ticum scabioso cane pretio habet. Sic satius fuerat circa primam Indicis mei discussionem ingenue fateri, adversarium Præfidi provinciæ, cui in eam rem inquirere injunctū fuerat, statim liqido demonstrasse, errores Theologicos, quos ipsi impactum ibam, libris suis non contineri, ac verbis suis vim inferri; philosophica in utramque partem disceptari posse, in quibus non autoritati, sed rationibus cedere sit paratus. Ac sane oportebat interpretationem ab isto allatam non adeo absurdam videri Rectoribus Sveciæ, nisi sensum communem iisdem plane velimus detrahere. Quod autem circa quæstiones philosophicas non statim mihi fasces submittere vellet, causa erat, quod miserandum me philosophum ducebat, cuius totum encyclopædiam jejuna cognitio terminorum logicorum & metaphysicorum absolvebat. Neque vero istas quæstiones philosophicas è verbo DEI definire mihi in mentem veniebat, præter unam illam de socialitate & pace inter homines colenda; adversus quod dogma sane quam pestilens ego dictū Salvatoris Mattb. X. afferebam; se non venisse ad mittendam pacem in terram, sed gladium. Quo ipso proscribere me posse arbitrabar magnam partem virtutum Christianarum, quæ ad artem nostram inclatescendi parum faciunt; nimur caritatem, modestiam, mansuetudinem, candorem animi, studium concordiae, animum reconciliationi primum, tum putidam illam à Luthero allatam interpretationem octavi præcepti, ut omnia in meliorem partem interpretemur; quæ si valeat, maxima rixarum pars ultro expirabit, ac nobis velut mutis canibus perpetuo obticescendum erit, cum nunc insanis latratibus Deo hominibusque molestiam exhibere nobis volupe sit. Denique & hoc ipso cavebam, ne quid detrimenti caperet Spiritus ille persecutionis & crudelitatis, regno antichristi peculiaris, quem tamen & ego, & mei similes nonnulli intra præcordia volvunt, ac libenter sint expromturi, si ardori animi vires respondeant, quem & tu, ô delicium meum, non obscure expressisti.

Circa narrandam porro eclipsin nostri Jndicis omnes numeros mali historici te implevisse, ac quicquid est pravarum artium, sed quæ candori nominis nostri mire congruunt, adhibuisse video. Nam id quod maxime ad rem faciebat abs te omissum est; nempe postquam intra priorem obscuritatem superiores me hærere jussissent, repertam esse aliam viam nostri ingenii fœtum in lucem protrudendi, subornato Nicolaø Beckmanno: cuius vesania operam suam turbis serendis accommodare mire gestiebat. Is igitur efficit, ut index noster assumentis quibusdam revera insipidis auctior opera unius bibliopolæ Holmonsis, alterius Hamburgensis Giessæ imprimeretur. Sic ut revera Index iste impressus meus sit; non minus quam libri, qui notis quibusdam illustrati prodeunt, non ideo autorum suorum esse desinunt, quod secretum revelare ambitio mea subigit, ne forte alium in orbe terrarum tam felix ingenium credatur extitisse cudendo tam lerido indice idoneum. Et sane non minus miraculo propinquum futurum erat duobus hominibus per diversa loca agentibus easdem cavillationes in mem-

tem incidisse, eandemq; ve calumniandi libidinem habuisse; quam olim Romæ duos repertos homines sibi facie simillimos, unum in Asia, alterum in Gallia natum. Apparet tamen hoc ipso nobis non amplius integrum esse impressum istum Jndicem in testimonium excitare, velut eadem nobiscum sentientem; non magis quam pro duorum testimonio haberi potest, si idem homo nunc pallio ad lumbos duntaxat descendantem, mox talari indutus eadem mentiatur. Iste ergo meus Jndex, operum qvæ hoc seculum peperit longe nobilissimum, tantam pulveris scholastici nubem in Germania excitavit, qvæ multis risum, aliis indignationem movit. Ubi tu, mi Scherer; schleiffere, dignum tuo stupore παρόπαμ admisisti, qvod negotio tam inficeto Magni Principis nomen admiscere non erubuisti. Nam illæ literæ, qvibus tantopere cristæ nobis surgunt, et si istius nomen in frontispicio præferunt, non magis tamen eodem conscio scriptæ sunt, quam mandata tribunalis Spirensis conscio aut consulto Cæsare, cuius tamen nomine eduntur. Ac sane, si paulo maturius hanc rem cosidero, valde dubito, an magnam gratiam inituri sumus ab isto Consilio, cuius exstimationi parcere etiam adversarius noster, quantum salva sua causa licebat, studuit. Nam notorium est, id Rescriptum unice jndici meo in libellum famosum jam transfigurato innixum fuisse, ac nulli ex isto Collegio librum adversarii nostri tunc conspectum, nedum examinatum & cum isto collatum fuisse. Qualis autem esse soleat autoritas sententiarum, causa non cognita latæ, etiam tu blennius quantumvis intelligere potes. Sed & qvæ duo testimonia à te allegantur (p. 4.) metuo ne parum causam nostram juvent. Nam epistola Meisneri nihil aliud dicit, quam in adversarii *Apologia genus scribendi* nec à theologis, nec à politicis probatum fuisse, nimis ob salem nimis asperum adhibitum. In cuius acerbitalis excusationem adversarius noster semper dicere solitus est; utique majore se moderatione usum fuisse, si cum doctis & bonis viris res sibi fuisset; sed asinos & professos calumniatores aliter non debuisse tractari. Et valde metuo, ne mollius adhuc mecum se egisse adversarius dicat, postquam tam obscurum latratorem sibi à me immisum viderit. Epistolæ Alberti Brandenburg parum ponderis est velut manifesti adulatoris, & supra cuius captum ista erant: cuius & verba, *credas equidem Pufendorfi causam non bene agi*, hic forte pro se allegabit, qvod nemo ipsi patronus fuerit, qui inauditi & per calumniam impetiti causam defenderit. Etsi revera Wittenbergenses in hoc negotio parum fessi mihi probarunt, qvibus non pro voto ac spe nostra insanire placuit. Contexit deinde prolixum catalogum magnorum virorum, qui cum adversario nostro in arenam descenderunt qvæ vel solo numero isthunc obruere possent, ni duo potissimum obstanter; primò qvod nemo istorum de omnibus erroribus, quos Jndex meus fingit, adversarium peragere reum audet, sed omnes duntaxat circa philosophica qvædam litigant. Qvo ipso non obscure me arguere videntur, velut errores theologicos in libro adversarii non invenerim, sed intulerim. Deinde qvod nondū abs qvopiam istorum trophæū erectū viderem, sed qvilibet tantum responsi retulerit,

rit, quantum ad ruborem sufficere poterat. Qvin & ea fuit adversarii nostri serocia, ut ne Valentini quidem Alberti nasus bilibris, & è multis poculis ad modum galli Indici rubens, terrorem ipsi incutere valuerit. Qvin ut eruditus orbis de toto litigio eo liquidius judicare posset ausus est sparsim edita scripta in unū volumen compingere, Eridis Scandicæ vocabulo, elogia nostra duraturo monumento conservaturum. Qvo cum non satis laudes meæ decantatæ sint, vel ideo scriptum tuum edi è re fuit, ut ab adversario auctuarium quoddam elogiorum nostrorum elicemus.

Dum autem ad excutiendam Eridem Scandicam accedis, privigne eruditissime, insigne quidem diligentiaz specimen ostendis, qvod elogia eorum, qui adversarium nostrum calumniis aut inanibus litigiis lacesciverunt, collecta uno obtutu lectoribus conspicienda exhibes, materiam fortasse poetæ, qui vena & otio abundat, scazontibus datura. Commendationem quoque meretur circumspectiotua, qvod omisisti addere, qua occasione adversarius singula elogia istis impegerit; quæ fortasse nonnulla nimis mollia ut viderentur efficere poterat, præsertim cum non omnes privilegium illud impune calumniandi, quo nos gloriamur, sibi arrogare queant; qvod & ipsum nimis vulgatum fieri meæ autoritatis, & fortasse boni publici non multum interest. Nescio tamen quare tot illustribus nominibus velut peplo Minervæ inserere omiseris Nicol. Beckmannum, qui secundas à me partes in hac fabula egit: cuius emphatica admodum encomia passim occurrunt. Nam si fortasse importunior aliquis rationem ejus omissionis acerius exquirat, num recte istum ab adversario increpitum putemus, an minus; quid respondendum sit, haut ita in expedito est. Nam si id affirmamus, præcipuum harum rixarum incentorem damnabimur, citra quem hæc controversia in herba fuisset oppressa; simul ingenti ego præjudiciourgebor, si is flagitium admisisse dicatur publicato scripto per me condito. Si negemus, sententiam à legitimo judice latam & à supremo confirmatam damnare grave fuerit; ac parum bona fide cum socio egisse censèbimus, cui ad facinus admittendum ansam præbuimus, ac nunc infamia coopertum tam lutulento scripto, quale tuum est, mi Severine, vindicare omisimus. Ac si hominem probe novi, non parum is in fermento erit ob omissa sua elogia, ac ingrati animi juxta, improbiqve fastus nos accusabit, velut ipsum socium designatos. Nam sane is declaritate nominis nostri quam maxime meritus est. Absqve ejus seclere si fuisset, intra paucorum conscientiam tantum specimen meæ artis stetisset. Iste, iste flagitium meum publicavit, ac quam ego meritus fueram pœnam sustinuit. Iste quoque tot aliis ansam delirandi præbuit. Qvin absqve eo si fuisset, tibi mucoso adolescenti, & post aures adhuc madido occasio defuisse ejusmodi specimen publicandi, ob qvod impudentissimus furciferorum audire mereris; ut que Wildschyssianum nomen in postica Parnassii parte luteis sit literis scribendum, velut fætentissimum orbis literati excrementum.

Mea autem elogia qvod attinet, circa reliqua quidem patrum est, qvod moneam, nisi qvod illud, nigri calumniatoris nigrae scholæ primipili, &c. facillime condonare adversario possum quippe à theologo adversus alium theologum

bitum, & in materia non dispari ad me itidem theologum haut absurde applicatum. Si enim nos ejusdem Ecclesiæ lumina & columnæ, levi ex invidia talibus convitiis nos impetimus; quid mirum, si laicus mortaliter à nobis Iesus eadem in nos retorqveat, ut furorem nostrum nobis exproberet? *Præfultus amplius, sic volgus redamtruat inde.* Id tamen facile patebat, non ab adversario, sed ab ejus errore, qvi indicem Eridi Scandicæ adjecit, profectum, qvod me æque, ac Nicolaum Beckmannum ob Indicem Novitatum infamia notatum, relegatumque ibi ponatur. Nam ego quidem & suffragator meus ita tecete rem gesseramus, ut talia indicia, quæ ad scelus aliquod in foro humano probandum requiruntur, non extarent, præsertim postqvam Nic. Beckmannus, qui socios flagitii prodere posset, profugisset. Etsi negare non possum, ὅπῃ parentibus insitam haut leviter pectas meum vellicasse, cum adpareret, revera fœtum meum, alteri utcunqve suppositum, à carnifice fore comburendum. Unde apud superiores anxius instabam, ne sententia in Nic. Beckmannum latæ exsecutio succederet. Sed qui ut quiescerem monebant, ne si ulterius rem urgearem, meo me indicio ut sorex proderem. Unde sufficere mihi debere, si pœnam fori humani utcunqve declinarem: virorum bonorum de me existimationem facile posse floccifieri; nec tribunal divinum illi metuendum, qui claves regni cælorum si aliis, multo magis sibi met ipsi dispensare potest. Sed & si scrupulose rem examinare quis velit, literæ Regiæ abs te, mi pulle, adductæ (p. 20.) non me crimine eximebant, sed tantum declarabant, Nic. Beckmannum haut ideo à pœna eximendum, quia quædam *essentialia* ex meo Indice in Indicem ab isto editum translata erant. Sed & hoc ignorasse videris, qvod multi perfidiæ ac perduellionis criminè revera se adstringant, de quo nunquam in foro civili rei peracti atque damnati fuerunt, quod crimen cum revera in illis hæreat, neque calumniatur, neque injuriam facit, qui istud illis objecerit. Quæ cum ita sint, dubito an magnus plausus apud cordatos te excepturus sit, quod velut extra te rapitus summis conniti viribus volueris, quo usque furendo progredi posses. (p. 17. 18.) Nam ita inepte Lutheri dictum alleges, ita insulso modo convitia tua eructas, ut etiam adversarius à risu temperatus sibi non sit, ubi te Copriæ insanientis personam tam infeliciter agere conspexerit. Nam qui tali modo bilem in inimicum evomit, non ipsi, sed sibi met maculam adspergit. Valde etiam metuo, ne prætextum illud de *misericordia*, ex qua adversarium hæretoes peragere instituimus, cordatis æque ridiculum videatur, quam si Polyphemus eum colorem devoratorum Ulyssis sociorum diceret, se per misericordiam illos comedisse, ut tantis laboribus in redditu ad patriam supersederent: aut si latrones se viatoribus sarcinas adimere dicant ex *misericordia*, ne iis ferendis amplius defatigentur. Sa-

C

ne

ne si tantopere in eum debacchamur , quem misericordia prosequimur
qmodo illos tractabimus, qibus bona fide irascimur ? Sed nec memini
me legisse, quo capite Novi Testamenti Christus jussit anima servanda cau-
sa suspendi, qui sibi hæreseos labem per aliorum calumniam non patien-
ter tulerint. Non est tamen, mi pusio , quod hisce velut asperius in te di-
cetis movearis. Nam hæc ex aliorum magis, qui nescio quam honestatis re-
gulam se etantur, quam mea sententia dixi. Nam tua omnia examissim ge-
nicio meo quadrant, & quo impudentius insanieris, luculentius Vitrici tui
curam circa formandum tuum animum ad sui similitudinem expresseris.

Postquam hucusque exordii in vicem gravi delirio prælusisti , jam se-
ri rem aggredi videris, mi fili, (p. 21.) ad defensionem meam suscepturnus,
magno judicio præmittis quæstionem : num qui injuriam illatam vindic-
are omittit , periculum famæ subeat ? Ubi meras sententias loqueris , car-
nifex, dum negas , contumeliosis verbis viri alicujus levis (qualem ex au-
toritate mea Pontificia adversarium creo, pronuntio, proclamo , & ab o-
mnibus pro tali haberi sub pœna anathematis volo jubeoque) detrahi
existimationi herois cuiuspiam, qualem ego me suffragante privigno meo
habeo ; ac mihi cum Luthero gratulandum censes , quod ob calumnias
alteri intentatas DEus me angelum suum vocet. Et nihilominus tam
solicite velut pro tribunali omnia diluere studies etiam quæ contemtu &
levi cavillo difflari poterant. Et cum Grotium probes, qui nihil malum ex
injuriis ad nos pervenire putat , nisi quod *insulta persuasione* positum est,
etiam ejus cui inferuntur ; tamen atrocissime ob iactata in me exclamas,
quasi nihil acerbius mihi inferri potuerit. Quæ quomodo inter se cohæ-
reant, vix adparet. Nam etsi ista adhuc à me contemni per modestiam
& animi magnitudinem asseras : tamen cum respondendi provinciam tibi
demandatam fatearis , furoris tui labem mihi quoque adspergis , dum id
quoque pro nostro habetur , quod nostro iusu & autoritate suscipitur.
Deinde & dubito, an valde causæ nostræ profutura sint illa JCTorum ne-
scio unde corrasa dicta ; quod etiam qui vera alicui objiciat , injuriarum te-
neatur ; item, quod ista ad causam principalem non spectent, nec ex ea-
dem, nempe Indice , promanent. Fortasse enim JCTi multum interesse arbi-
trabuntur, ultro quis alterum convitiis etiam veris lacestat, an vero ab alte-
ro lacefitus quedam parum honorifica reponat per modum retorsionis,
aut defensionis, & ut vel malitiosum lacefentis animum , vel ignoran-
tiam demonstret. Quod si igitur adversarius dicat, cum ego ipsi cona-
tus sim per calumniam errores circa capita fidei impingere , se injuriam
mibi non fecisse, quando ostenderit, me ingenio esse turbulentio, & gau-
dere circa talia inanes lites movere; tum & eruditioiem mihi valde esse
modicam, nisi quod cavillandi dexteritas doctrinam suppleat; quid solidi
è prin-

è principiis juris reponi queat vix adparet. Et meminisse debueras, eos qui viam inclarescendi à me usurpatam ingrediuntur, non posse nec solere omnia ad apices juris exigere. Quanto compendiosius igitur fuerat omissis JCTorum tricis privilegio nostro unice inhæres, cuius vi licet mihi alterum hæreseos arguere; qui si contradicat, injuriarum, læsæque majestatis Pontificiæ tenebitur.

Sed omittamus tetrica ista, & ad amæniora convertamur, latoque animo recolamus elogia, per qvæ fama toto me orbe celebrem circumfert. Objecerat mihi adversarius ingenium turbidum, & in litigia prouum, cuius specimina in Pomerania, Holmiæ, & Lundis ediderim. Id tu egregie refutas, producto encomio, quo aures meæ titillabantur, quando Doctoralis mitra, cui præter nolas nihil deerat Lundis imponeretur. Quod quidem pari religione scriptum fuit, atque in sermonibus funebris personalia, quæ vocant. Uti enim hæc omnes, quibus parentalia fiunt, innocentes, sanctos, summisqve virtutibus præditos, nec nisi levissimis vitiolis adsperios prædicant: ita ubi aliqua promotio scholastica fit nemo candidatorum est, quin Augustino Papiniano, Hippocrati & Aristoteli sit æqviparandus, si non præferendus. Et qvis adeo morosus foret, ut amicum id rogantem, & vanâ ambitione misere languentem inter inania ista non velit in os laudare, ne nimis aliqua parte mancus sit. Id tamen è secretissimis de arte inclarescendi regulis à me expressum, qvod poetas potissimum in laudes meas excitarim, imitatus in eo exemplum Imperatoris Augusti, proximo mihi fastigio viri, qui & ipse magnam partem laudum suarum poetis debet. Sic & ego magno ambitu senis Buchneri morositatem expugnabam, ut aliquod propæticum meæ importunitati ne denegaret. In quo tamen encomiasta meus (p.26.) parum candide mecum egisse videtur, quod ea potissimum loca excerptis, quæ sensum habent valde ambiguum. Nam jubet Poeta me Nigrinum apparare iter non con colore avi, & quæ in crucem abeuntes comitatur, sed *candida*, & cumpromis auspicata, ansere nimirum, qvæ & viatoris novi indolem exprimeret, ac sub vesperam pingui cœna famelicum reficere posset. Quem & sensum sequentia verba insinuant, quibus præceptum dat post septennem cuculi bibitionem in pedes se daturo, ut sequatur ipsum innocentia, probitasque morum, sed cautatamen sui; ne ex asse anserem exprimat, veterique Germanorum dieterio per exemplum suum fidem adstruat. Es floh eine Gans übern Rhein / es kam ein Gießgack wieder heim. Qvod & præceptum tibi à me inculcabitur, si quando peregrinationem Moelnam ad visendum morioris ab Ulula dicti sepulcrum instituere placuerit. Sic & negativo testimonio D. Maukisii nil nervorum inest, quo negat se novisse aliquem, qui vitam meam improbarit. An enim iste norat, quid quisque

de quocunq;e judicaret? Unde qvod ad tam jejuna testimonia encomiasta meus ita repentinis, & fere conternationis quid incutientes exclamations tollebat, vix ad aliam causam referri potest, quam qvod jam animo vespertinam helluationem præcipiebat. Ac sat scio, adversarium, cum è loco superiore istam fabulam spectaret, non superfuntorie nostram stultitiam risisse.

In eo quoq;e ingenium tuum magnopere & commendandum, qvod è quavis re ansam arripis nomen & facta mea extollendi. (p. 28) Ex thesi innoxia & per experientiam evidentissimam nota omib;us, qui pedem extra patrium limen protulere, qvod nempe cœli solique genius, & humorum in corporibus temperatura voluntatem hominis ad certas actiones inclinare faciat, ego haeresin pro solertia mea formaveram, vocabulo *peccati substituto pro actione*. Adversarius brevi responso in remanifesta cupiens defungi, reposuerat; mirum esse, à me id in dubium vocari, qui & ipse brevi per Galliam & Hollandiam peregrinatione defunctus experimentum capere potuisse, nisi ad anseris instar terras forte transierim; obiter jocatus, sine dubio ob tenuitatem crumenæ pedibus mihi aliquando iter fuisse carpendum. Quod ne dedecori mihi crederem, qui omnina ad famam referri gaudeo, magni me Imperatoris Adriani exemplum allegare posse cavarabatur. E re tam pusilla quantum tu laudum mearum materiam extorques? Primo enim arripitur occasio me meumq;e fratrem cum Basilio Magno, & Gregorio Nazianzeno comparandi, sat quidem pueriliter, et si pia ex intentione, cum ego solus nominis celebritate, eruditione, & meritis in Ecclesiam quicquid est veterum Doctorum multis parasangis suprem; quorum nemini mitra doctoralis inter tubarum & tympanorum strepitus & crepitus imposita fuit. Dein jaetas, me expertum Parisiis, *quid falsi ad veros doctores disputando valeant*, meq;e adeo totam Sorbonam ad silentium redigisse, ut ex una mea disputatione aliquot myriades Pontificiam doctrinam ejuraverint. Cur enim Petrus à piscatura recens uno sermone tria millia convertere potuit; & meæ conciones centuplam vim non habeant, qui per septennium Witebergæ cuculum bibi, & abiens Buchnero propemticum extudi? Prævideo tamen paucis te fidem facturum, ac plerisque vero similius visum iri, me quidem aliquando Sorbonæ parietes adspexisse; aliquando etiam cum disputatio quædam haberetur, hiante ore prope ostium in turba adstitisse, sed ob volubilitatem linguae, & quia isti doctores Latinum sermonem Gallicè nimis sonabant, pauca admodum potuisse asseqvi. Ista porro observatio curiosa admodum est, qvod memoras, absurdum esse, in regionibus Papistarum pedibus aliquem Lutheri discipulum absque religionis abnegatione iter facere posse. Nam cum Lutherani hodie quoq;e per Italiam, ipsamq;e Romam evis & asinis & curribus iter facere

facere soleant, cū pedibus id vetitum sit? Ac isto tempore, nihil persecu-
tionis ob religionem in Gallia erat. Sed nec Lutheri discipuli notam ali-
quam corporis habent, ut statim ipso adspectu deprehendi queant; nisi
forte pallium, quod ante Sexennium Witebergæ mihi in foro scrutario
emtum fuerat, aspectantibus suspicionem injicere potuisset, me cum Gi-
beonitis è longinquis locis venisse. Magnam porro in expectationem
(p.29.) teculum eruditum conjectasti, facta mentione *Itinerarii* nostri, ex
quo inter infinitas curiositates discere licebit prælia nostra, quæ quotidie,
dum vicos transimus, adversus canes ipsi baculis & lapidibus probe armati
commisimus; & quam saepe per vestes sepedum animalculorum venatio
fuerit instituenda, quæ per impurum cauponarum stramen comites fere i-
tineri nostro, nobis sane inuitis, addere voluerant. Cum porro via publi-
ca æque plebejis hominibus, quam magnatibus pateat, ac saepe contingat,
ut diversissimæ sortis hominum iter in idem tempus incidat; argute ad-
modum ratiocinaris, magno cum splendore peregrinationem mihi pera-
etam, ideo quod, dum Diepæ ex Anglia in Galliam appello, ac attonitus
ignota omnia circumspetto, lingvæ insuper ignarus, popularis qvidam
meus, qui cum nobili Sueco Lutetiam tendebat, misericordia tactus me per-
miserit eandem secum viam legere, ut aliquo modo expedire me possem in-
ter homines, quibus ego mutus eram. Sic ut revera istud non nisi nostræ
simplicitatis indicium sit, non secus ac quod fraudes crumenis carum
in Hollandia declinare non poteramus, viatico nos emungentium, ita ut
Zonis plane evisceratis in Angliam accederemus.

Sed missis hisce levioribus jam plenis velis in gloriæ nostræ pelagus
inveheris, (p. 31.) ac pugnas meas syncretisticas (p. 31.) recenses, ob quas è
patria profugiendum fuit; et quibus immane quantum utilitatis res Prote-
stantium cepit. Sane nisi ego in Pomerania clamorem sustulisset, sincera
doctrina ibi perierat, cuius & puto vix scintilla me digresso remansit. In
universum autem ea bella id commodi pepererunt, ut autoritas doctorum
nostrorum apud communem hostem immane quantum gliscere cœperit,
qui istorum pugnacitate perspecta ne hiscere quidem deinceps ausi sunt.
Tum & integræ myriades desertis istis doctoribus in nostra castra tran-
sivere, simul nostra sacra longe lateque fines protulere, regno contra Pon-
tificio ad incitas fere redacto. Ac propediem in lucem prodibunt tabulæ
geographicæ, splendidis coloribus illustratae, quibus exhibentur regiones
a me, meique similibus ad orthodoxam religionem adductas, et quibus de-
inceps cognomina mihi ad imitationem veterum Imperatorum adscisce-
tur.

Ut porro celebritate nominis per Pomeranicos meos triumphos par-
ta tuto frui liceret, satius visum Sveciam adire quam Witebergam, ubi

magnam mihi esuritionem præfigiebat animus , si collegiis habendis vi-
etus quærendus foret. Nam & ea ratio inclarescendi semper nimium la-
boriosa mihi visa fuit, quam & ingenii tarditas, curtæque conscientia su-
pellestilis declinare svadebat. (p.51.) Sane & Qvenstedii literæ haut ob-
scure famem mihi ominabantur, Witebergam delato , qvod qui alibi te-
nebriosa nocte ad instar Canis Majoris aut Arctophylacis fulgere pos-
sem , ibi vix tenebricosum Asellorum fidus expressurus fueram. Mallem
tamen abs te omissum fuisse illud de *commeatu* à Serenissimo & Potentissi-
mo Rege Sveciæ petito, antequam in id Regnum accedere auderem. Cum
enim omnibus honestis viris eo liber accessus pateat, nec venia petita o-
pus sit, non obscure me tales fuisse arguis , cui extra juris gentium be-
neficium posito securitas non constat , nisi peculiari concessione obten-
ta. Nisi forte dicere malis, me Legatorum morem imitari voluisse, qui
ad loca tractatum accedere non solent , nisi literis salvi passus cautum i-
pfis sit. In ipsa autem narratione rerum à me in Svecia gestarum magna
cum arte video te versari, dum è privatorum literis , quæ sæpe ad votum
magis alterius , quam rei veritatem scribuntur , illationes formas nimis
liberales. Velut ex eo , qvod fautor meus scribebat Rectores Sveciæ ita
fuisse præpeditos gravibus negotiis , ut ejusmodi privatis , quæ tem-
pus opportunum reqvirunt, vacare non potuerint: tu qvidem concludis,
me Holmiam ad munus aliquod capessendum venisse autoritate eorum ,
qui ad clavum reipublicæ sedebant, munusque mihi ultro fuisse oblatum.
Nam revera earum literarum hæc est genuina interpretatio : oportere me
rerum humanarum valde imperitum esse, si credam, Rectoribus Sveciæ ob-
tantillum negotium molestiam facessendam, aut eorum interesse , utrum
ego in Morboniam, an Anticyras navigem. Si tamen ultro velim accede-
re, neminem esse, qui prohibiturus fit. Tutum quoque est tibi, mi Lalifio,
subinde in adversarium mendacia & calumnias ingeminare , quem satis
noras tuos ruditus tanti non facturum , ut de testimoniis in contrarium
formandis operam sumturus, esset. Etsi revera, quæ tanta cum confiden-
tia jactas, scipsa destruunt. Sane cum Lundas advenisset, usqve adeo
tenuis mihi erat res vestiaria, ut hospita mea à lotrice monita par inducio-
rum recentium mihi dono daret; cui, ne minus haberer munificus, vetera
& attrita vicissim donabam, infomitis usum adhibenda. Id quoque valde
magnifice (p.54.) qvod narras, me cum vix pedem Holmiam intulisset,
ultro invitatum fuisse ad concionem coram Rege & Regina habendam,
quibus tantum erat desiderium novum Apostolum audiendi, ut anima-
rum suarum saluti metuerent, nisi me sentinam & picem adhuc è naviga-
tione olentem audirent. Sed metuo, ne istius aulæ periti inanem ja-
ctantiam irrideant; cum constet, ibi sæpe juvenes quoque, & sat infacun-
dos,

dos, rudesque magnatum aures radere, & studenti miserum stipula disperdere carmen. Sed & fatis pellucet, multa te comminisci, ut repulsæ meæ circa pastoratum ecclesiæ Teutonicæ, quæ Holmiæ est, colorem circumponas. Sane valde stupidos credidisti lectors tuos, quibus eam inusitatum electionis eventum te persuasurum credidisti, ut nempe ego studiosus, & in concionando adhuc valde inexercitatus, satisque aridus, ducenta amplius suffragia ferrem, è reliquis duobus competitoribus, sane facundissimis & longo usu exercitatis, alter sedecim, alter novem duntaxat suffragia haberet, ac ut qui novem tulerat, munere vacante potiretur. Tum vero tot ædiles templo teutonio Holmieni attribuis, quod templum Sophiæ quondam Constantinopoli habuisse haut crediderim. Id autem abs te astute admodum factum, quod post viginti amplius annos probari postulas, num ego aliquos è futoribus & fabris, qui mihi suffragati sunt, presaverim. Sane tanti est ea res, ut nobis Pythonissa investiganda sit, quæ dudum in cinerem redactos sepulcra evocet.

In sequentibus porro (p. 55.) lepide expressisti fabulam de vulpe uvam saltu assequi hautquidquam valente. Nam cum pastoratu illo Holmieni admodum pingui excidisset, decorum erat simulare, me nulla ejusdem cupidine tangi. Ac revera magnitudo laboris me terrebat, cui pigritia mea non sufficiebat; absque quo si fuisset, mire mihi proventus ejus spartæ salivam movebat. Unde cum postea Lundas pervenisset, meliorem mihi occasionem datam arbitrabar rem citra laborem faciendi, quæ fito ad functionem Academicam opimo pastoratu rurestri, cujus labores ego in pauperem diaconum derivare constitueram, redditibus in crumenam meam confluentibus. Sed quia Senator quidam Regni Sveciæ alterius templi patronus erat, is eum mihi bolum hiantibus jam fauibus eripiebat; qui impudens valde jaetabat, me septimo inde millari habitantem laboris immunem proventus velle devorare, functione in miserum mercenarium devoluta. Unde tenui sat conditione Lundis aliquamdiu vivebam, donec spes opimæ dotis me ad procandam tuam matrem subigeret. De cuius pudicitia ut eo certius mihi constaret, duos juvenes Nobiles Lundis Malmogiam alegatos subornabam, ut pudicitiam ipsius prius tentarent. Quam isti inexpugnabilem fuisse bona fide referebant; me ob ingeniosum commentum magnopere gaudente, quod & omnibus sponsis imitandum de meliore nota commendo. Nam post tale specimen in utramvis aurem ipsis licebit dormire, nulla suspicione perstrictis, ut juvenes post assidue gynæconitidem freqventent. Nam illos ego nihil moror, qui crepant; ni sponsæ meæ plus pudicitæ aut circumspectionis, quam mihi prudentiæ fuisset, me mihi ipsi lenocinium fecisse; imo revera lenonis juxta & curucæ opprobrium incurrisse, si intentio magis mea quam eventus spece-

pectetur. Illud autem metuo ne nimis aperte putidam ambitionem redoleat, qvod scribis, (p. 56.) me primarii concionatoris aulici vice functum, quasi nullus labor me dignus fuisset, nisi qvi in proceres Ecclesiae caderet. Nam in aula Holmiensi labores concionatorum aulicorum in orbem eunt, nullo primarii aut secundariorum discrimine; nec in recitandis precibus matutinis ac vespertinis majus à me artificium, quam à reliquis adhibebatur, nisi qvod vox mea à uox vulgo aulico risum fere moveret. Nec minus verendum est, ne à cordatis pro figmento habeantur, quæ amici mei de gratia Reginæ, & qvod tantopere me concionatorem & confessio- narium desideraverit, scripsere, misellæ meæ ambitioni mulcendæ. Qvis enim voluntati Reginæ repugnasset, si svada mea tantopere ipsi arrisisset? Sane qvod natio mea non obstatiterit quo minus id fieri possem, qvod tu jaegas, indicio est, qvod utique Germanus natione eum locum paulo post sortitus sit, quem ego in cassum anhelabam.

Contexitur inde (p. 58.) abs te historia actorum à me Lundis in professione theologica, quam tamen metuo ne delicatuli citra nauseam legere non possint, velut plane putidam, ac subinde barbaræ rusticitatis tibi propriæ scordibus conspersam, & nil præter litigia continentem, qui nihil ad claritatem nominis mei conferre possint. Nisi forte dixeris; cum eruditæ non sint dignati legere pugnam murium & ranarum, etiam meam oppositionem (p. 73.) lectu dignam esse, inaudita mysteria continentem, Post prolixas tamen nugas (p. 81.) ad splendida magis accedit, & quomodo ea in me dignitas collata sit, ad quam neque Chrysostomus, neque Hieronymus, neque Augustinus adspirare potuerunt. Cujus tamen affectatæ arcana ratio à te recte dissimulata fuit, quæ erat, qvod, cum non obscure calumniæ notatus essem, indictio silentio, mire languebam, & velut tenuatis cornibus Luna per obscuram nubem maligno lumine apparebam. Ut igitur eam labem utcunqve eluerem, simul ut Winstripio in novo Pro cancellarii munere jaegandi se occasio præberetur, de assumendo doctoris titulo movere institui; ad quem prona admodum via ostendebatur, qvod citra examen & disputationem, nullo edito eruditio specimine, eo potiri liceret. Ac inter angustas licet domi res sumtus istos profundere volupe erat, ut aliqua ansa adversario insultandi ne deesset; Etsi tubicines ac tympanotribæ sat acerbam sui memoriam mihi relinavebant, qui non sine importunitate exprobrabant, se cum tanto nixu templi fornices strepitum & clangore resonare fecissent, post tam parce vinum epulæque fuerint præbitæ, oblato & tam scordido donario: qvod si præscivissent, alia potius corporis parte strepitum fuisse datus. Cæterum fateor eo die inter insanias ista scholaistica ingens gaudium pectus meum pertentasse. Sane videbar mihi sublimis per nubes ferri, ac subito è pulpa lucis,

(agno-

Cognoscis verba programmatis Winstrupiani p. 81.] emersisse ruptis reper-
te tenebris velut secundis; totumque orbem terrarum oculos in me ve-
luit ad exortum novi sideris convertisse. Nec minus quicquid est sapi-
entiae divinae & humanae velut torrente quodam pectori meo infusum,
cui si reliquorum homuncionum quispiam oppedere auderet, idem fatum
cum gigantibus imponere Pelion Ossa conantibus esset experturus. Eo
justior tibi indignandi causa est, mihi Wildschyssi, quod etiam post eam di-
gnationem in me collatam adversarius eruditionem meam elevare non
horruit, cum nosse debuisse, per vocabulum doctoris me plane omni-
scium redditum. In eo tamen naris te parum emunctæ ostendis, quod
quæ Rolletus in Scharfchmidium scripsit, ipsi adversario attribuis, velut
is tantopere delirari, ut ipse sibi tanta elogia arrogaret. Nam dictio-
nis genius alium plane autorem arguit, sine dubio adversarii amicum,
sed qui quanti hunc aestimaret, aut quibus elogiis eundem oneraret, huic
prohibere non licuit. Et quantum erat ante Scharfchmidium haberi,
revera somnium hominis? Tu tamen, cum meam eruditionem solidis
rerum argumentis, & illustri quoque ingenii monumento demonstrare
difficile admodum videretur, compendiosiorem credidisti viam me ex-
tollendi, dum adversarium pro dictatoria tua autoritate contemnis, velut
solidæ doctrinæ plane expertem; qui tamen nescio quibus magicis arti-
bus per viginti amplius annos erudito orbi imponere potuit, ut non infi-
mo inter doctos loco haberetur. Qui & proch nefas! *pedanterie* vocabu-
lum haud probæ Latinitatis in quosdam magistros nostros, eorumque
fœtus ac studia jactare non dubitavit. Quo audito ego non possum non
penitus excandescere, quippe cum nemo a quo ferre animo possit sua sibi
vitia in os exprobrari. Unde & me fane invito memoriam reficias (p. 91.)
orationis illius à Nobili Sveco, cum fasces Academiarum susciperet, habitæ,
haut dubie adversario suggerente, de scabie pedantismi, & num ea neces-
sario studia literarum comitetur. Nam statim atque id vocabuli aures
meas feriret, effervescente bile indignationem vultu totiusque corporis
metu prece me ferens, sede mea surgebam, & è medio confessu foras me e-
jiciebam, toto auditorio stultitiam meam irridente, quod istud oppro-
rium solus in me traxisset, cum ceterorum nemo idem ad se pertinere
arbitraretur; præsertim cum orator iste sibi proposuisset ostendere, id vi-
tium non magis ad naturam eruditionis pertinere quam avaritiam ad offi-
ciū sacerdotale. Per hoc autem solidum fundamentum famæ tuæ substravisti,
mi privigne, quod ipse imberbis adhuc tanto supercilioso contemnere ausus
es eruditionem viri, jam per quinque lustra scriptis publice editis noto.
Nam Lectori istam proterviam consideranti non potest non in mentem ve-

D

nire

nire: Si Wildschyffius iste tantos spiritus gerit, cum adhuc ipsi pauculos ante annos nates adhuc à virgis rubebant, quantus Laux Mundi idem futurus est, ubi aures madere, & nares muco fluere desierint? Et sive quantos profectus feceris in Logica, in qua ego tot per annos Wittenbergæ desudavi, egregiis documentis ostendisti, & quæ plane par mihi Ecclesiæ lumen minantur; quæ ut eo conspectiora fiant, ipse quoque non nihil lucis iisdem affundere conabor. Ego pro cathedra mea Pontificali definieram, atheismum esse, quod adversarius scripsit, civitatem debere personare ejusmodi doctrina, quæ cum fine & usu civitatum congruunt; quem finem & usum Apostolus Paulus, magnus utique & ipse atheismi autor, definit, ut honestam & tranquillam vitam agamus. Reposuerat adversarius; si Atheisticum est dicere, civitatem debere personare doctrina cum fine & usu civitatum, i. e. honesta & tranquilla vita, congruentibus, igitur divinum dogma erit dicere; civitatem ejusmodi doctrina debere personare, quæ cum fine civitatum non congruunt, i. e. quæ honestatem & tranquillitatem civitatum evertunt. Si enim atheistica est doctrina, quæ cum fine civitatum conspirat, divina utique illa erit, quæ eidem fini repugnat. Ast tu pro tua subtilitate demonstras, ejusmodi ratiocinio adversarium prodere, se ne rudimenta quidem dialecticæ callere. Id enim perinde esse, ac si quis dicat: Venerabilis unus Doctor Schwarzius negat omnem hominem militiæ nomendare debere, Ergo vult contrarium, nullum scilicet hominem militiæ nomen suum dare debere. Quantum capio atheismus jam consistet in universali signo *Omnis*, eoque ita debuerat formari apposita propositio contradictoria: quædam civitas non debet resonare doctrina, quæ cum fine civitatum congruit. Unde adversarii propositio particulariter concepta vera erit: quædam civitas resonare debet doctrina, quæ cum fine civitatum congruit. Si enim falsum est; omnem hominem debere militiæ nomen dare, & nullum hominem militiæ nomen dare debere. Verum erit aliquem hominem debere nomen militiæ dare aliquem non debere. Unde vera quoque & citra atheismi notam erit illa propositio particularis affirmativa; aliqua civitas debet resonare doctrinis cum fine civitatum congruentibus; nec minus ex mente mea vera quoque erit illa particularis negativa; aliqua civitas non debet resonare doctrinis cum fine civitatum congruentibus. Atqui cum ex tua mente atheismus non sit in particulari hac propositione; aliqua civitas debet resonare doctrinis cum fine civitatum congruentibus, i.e. non seditionis, & quæ cives ad honestam & tranquillam vitam disponunt; nihil rationis abs te allatum video, quare atheismus utique lateat in eadem propositione universaliter concepta, præsertim cum adversarius de civitatibus rectis, & ad normam sanæ rationis, legisque naturalis con-

fici-

stitutis egerit. Unde utique tibi afferenda erit certa aliquia nota, quia discernantur civitates doctrinam seditiosam respentes ab illis, quae tandem requirunt. Ego sane pro mea in politicis simplicitate non aliam conjiciendo assequi possum, quam emolumentum regni antichristici. Hoc enim ubi viget, saepe interest Pontificis, cives ab obsequio suorum Principum abduci, ac ad seditionem & rebellionem disponi. Sed quo casu civitates, quae antichristo nuntium remisere, doctrinis seditiosis opus habent, ego quidem fateor me non perspicere. Nam etiam si quondam, cum in Scania agerem, muneric mei duxerim, hoste ingruente civium animos in hujus partes a legitimo Principe avertere, modo a latrociniis abstineant; tamen si Augustissimi nostri Monarchae imperio ejusmodi Evangelium praedicarem, metuendum mihi foret, ne patibuli, pena, quam olim merebar, nunc mihi representetur. Sed & circa alterum exemplum (p. 92.) metuo, ne angelicam tuam subtilitatem frustra prodegeris. Dixerat adversarius, Deum dici quaedam non posse agere, non ex impedimento aliquo naturali aut morali, sed ex proprio beneplacito. Ego, ut calumniandi ansam invenirem, eam ipsi thesin affixi: Deum omnia, quae non agere posse dicitur, ex proprio placito non agere. Adversarius querebatur, a me per calumniam pro quaedam substitutum omnia. Tu contra in arte Logica cæcum istum pronuntias, quod non viderit τὸ quaedam esse partem termini, non signum particularitatis: τὸ omnia vero non rem universalem significare, sed quod subjectum universaliter accipiatur. Sed quid si quis dicat, te sine mente sonum dare; ac τὸ omnia itidem esse partem termini, non signum universalitatis? adeoque quem locum τὸ quaedam obtinet in thesi adversarii, eundem τὸ omnia in nostra thesi obtinere. Et utique gravem fuisse calumniam pro τῷ quaedam substituere omnia. Sic si quis dicat in scripto Wildschyssiano quasdam occurrere phrases latinas, fortasse ferri posset. Sed si quis afferat, in eodem omnes phrases latinas occurrere, non minor avis atque tu habebitur. Circa illam autem calumniam, (p. 93.) per quam adversarium mentiebar statuere, v. g. furtum, adulterium &c. ex liberrima Dei voluntate peccata esse, non autem per se & sua natura; pro tua in me pietate fecisti, quod disputacionem meam de Notis veri falsique Doctoris dudum per cloacas sepultam, jam in lucem revocas, cuius exemplum præter me nemo servavit. Alias abnuere non possum, adversarium eam calumniam aduersus Reverendissimum atque Excellentissimum Dn. Dn. Doct. Velthemium ita a se depulisse, ut huic quod contra boaret, nil superesset. Sed quod tantos profectus in nobilissima materia de praedicamentis feceris, (p. 94.) ut adversarium circa recondita illa dogmata impiegile arguas, in eo majore verborum pompa jactare te posses, ni cum tali nobis res esset, cui statim per-

danteriæ vocabulum ad talia in ore est. Etsi contra istius scommata id nobis solatio esse debet, qvod qvicqvid est beanorum plenis faucibus iò triumpho, adrudente molitorum satellitio, sit acclamaturum. Nam utut idem regerere quoque velit, abs te veteres meas calumnias dudum jugulatas recoqvi ; sufficere tamen tibi debet, qvod omnes agnoscant , te non qvidem patrissare, sed vitricissare, ac perfectum artificem habendum,qvia magistrum tuum mentiendo & calumniando æqvas , convitiando etiam superas. Non autem commoveri debes, si forte aſini probrum tibi impingatur ; nam & idem mihi , aliisque mei commatis deglutiendum fuit, qui tamen haut eo minus nobis belli, festivi , ſaperdæ videmur , & cum aliis nos irrideant,nobis ipſi intus canamus.

Postquam igitur per mysteria logica, qvicqvid aduersarius in philosophia noſſe ſe putat, feliciter proruifti , in proclivi eſt tenues ejusdem reliqviās evertere, qvas juvenis ē theologia aut jurisprudentia obiter hauſit. Sane qvam circa theologiam nihil norit, luculento valde documento probas, (p. 95.) qvod is nempe ignoret , *qvod causa diligendi Deum Deus fit* , *quodque eum non ex commodis metiri, sed ex infinita maiestate debeamus* ; cum tamen ista etiam rusticorum pueri qui porci non ſunt , norint. Ubi qvidem tu egregie artificium meum exprimis , qvod calumniæ cauſa aduersario alia verba ſubſtituis. Nam quantum memini , nūpiam autor ſcripsit, *Deum commodis metiendum eſſe*. Sed illud tantum aſlerit , funda-mentum & cauſam impulsivam proximam , qvare homo Deum colat, eſſe beneficia à Deo in hominem collata. In qvem errorem, oppido qvam atheisticum , video misellum præcipitaffe, qvod in Scripturis ſacris paſſim legerit, fideles, dum Deum invocant, ſolicite admodum eum vocare Deum noſtrum, Creatorem noſtrum, Patrem noſtrum ; qvæ verba iſte notio-nem alicujus beneficii involvere judicavit, eoqve nomine nos ad cultum Dei obſtrictos eſſe, qvod is *noster* Deus, Paterqve, nosqve creaverit conſervet ac gubernet. Sed nunc iſte , te facem prælucente, ē tenebris ignoran-tiæ rusticæ eſt eruendus, ac novam editionem orationis dominicæ docen-dus, veteri formula proscripta, in hunc fere ſenſum : O Deus , qui infini-ta qvidem maiestate præditus es, ſed à qvo ego Josua Schvartz, non tua gratia Superintendens Slesvicensis non dependeo, nec à qvo creatum me profiteor, nec ejus in me imperium agnosco, aut eundem patrem meum vocare dignor, cuique adeo nullum beneficium in acceptis refe-ro, aut re-ferre cupio : non poſſum non admirari tuam magnitudinem; qva multis te partibus mea natura excellentiorem eſſe ſuſpicor, qvam etiam tibi non admodum invideo, etsi moleſtum fit mihi non eas eſſe vires ut adverſarium , omnesque ejus fautores uno flatu in pulverem redigere poſſim Tunc enim tam obſceno defenſore famæ meæ , qvalis eſt meus privignus opus

opus non esset. Etsi autem neque beneficia tua desiderem , nec pœnas
metuam, ea tamen meæ naturæ generositas est, ut non intercedam, qvæ
minus nomen tuum sanctificetur, regnumque tuum adveniat illis , qui
abdicata sua independenti libertate id subire velint. Facile etiam patior,
ut ea, qvæ in se & sua natura necessaria sunt fiant, juxta deliram explica-
tionem Valentini Velthemii. Et hucusque nostra formula lepide proce-
dit. Sed circa quartam & seqventes petitiones aqua hæret , qvibus ni-
mis aperte Deus beneficium exposcitur ; qvod longe infra meum fastigi-
um est. Itaque nullum aliud remedium superesse video , qvam ut ita
per Indicem expurgatorium plane deleri jubeamus. Puto jam satis ad-
parere, summo jure me ruditatem adversarii in rebus theologicis irride-
re potuisse : cujus & recentem tractatum *de Habitū Religionis Christianæ mi-*
rrorā multis æstimari, cum tu tantus librorum censor flocci eum facias. Et
si non memini postillam me legisse , è qva iste , ut tu arguis, descriptus
sit. Id quoqve egregium, qvod elogium soli Salvatori nostro competens
mordicus mihi vindicatum is. (Gottes werther Sohn.) Etsi non dubito,
qvin adversarius pro sua ferocia te subsanaturus sit , qui Danicæ linguæ
innutritus de genio Teutonicæ linguæ judicare præsumas. Nam dum
dictum *Lucæ III, 38.* allegas, cucurbitas te lippiisse appetet, quod non ob-
servaveris, Lutherum linguæ Teutonicæ non imperitum, cum de reli-
quis dixisset , der war ein Sohn Seth / der war ein Sohn Adam &c. de A-
damo non dixisse , der war ein Sohn Gottes sed, der war Gottes. Et san-
cti passim non vocantur Söhne Gottes / sed Kinder Gottes. Igitur, mi Co-
pronyme, paulo accuratior tibi opera circa linguam Teutonicam ponen-
da erit , si adversarium ejus linguæ imperitum arguere velis. Nostros
Theologos ultra Erasmi & Lutheri victorias nihil promovisse , non ad-
versarii dictum est sed Rolleti. Quod falsitatis convinci vel meo exem-
pto constat , qui longe lateque pomæria puræ religionis protuli. Sed
longe compendiosius fuerit per aliorum Testimonia adversarii erudi-
tionem destruere, eumque plane in idiotarum classem redigere. Inter
quos primum locum assigno auctori indicis Novitatum, adversus quem
iste ne hiscere quidem ausus fuit. Enim sequuntur duo Parnassi lumina
& cacumina , an potius cacamina Velthemius & Scarschmidius , ad
quorum oracula caput inclinandum, digitisque labium premendum est.
Postquam igitur adversarium plane tritum novisti , ac in Cæritum tabulas
redegisti, jam tempus monebat (p. 97.) ad meam quoque eruditionem
prædicandam suadæ vela laxare. Etsi malleni alia elogia investigasses,
quam insipidam illam & proleteriam adulacionem in promotione mea
prolatam, ne petulantior aliquis nobis occinat tritum illud , crambe bis
mors. Qui & encomista quam manifestus fit adulacionis, & è musca

elephantum facere non erubescat , vel id indicio est , quod disputationum
mearum academicarum frequentiam (p. 99.) laudet cum præter duos mani-
pulos tutissimarum thesium tunc nihil proposuisse. Sed tuæ laudes ,
quas non modio aut trimodio , sed toto horreo in me congeris , non
paulo pinguiores sunt ; velut qvod tanta polleam disputandi dexteritate
ut adversarium statim convincere , & ad silentium redigere potuerim , qvod
invectivis meis Calvinistas & Syncretistas in confusionem dare calleam ;
qvod vocabula quæpiam veterum hæresium forte fortuna audivirim ,
eaque per calumniam in alios jacere norim ; quod adeo chalybea sim fron-
te , ut vel centies destructam cavillationem de indifferentia vitiorum coc-
cyssare non erubescam , eandemque cantilenam te quoque gannire do-
cuerim ; quod ut colorem calumniis meis invenirem , offendи me alte-
rius doctrina simulaverim ; quod conciones meas ad logicæ & rethori-
cæ regulas tam dextre tornare calleam ; quod è cathedra sacra tam ani-
mose allatraverim adversarium absentem ac nulla respondendi occasione ;
quod cum iste sententiam suam adversus calumnias meas explicaret , sta-
tum controversiaz eundem mutasse questus sim , ne ita repente rana Se-
riphia fierem ; quod in dicta mea concione patibulo digna de bello plus eru-
ditionis ostenderim , quam adversarius omnibus suis liberis de Jure Na-
turæ & Gentium ; & qvæ sunt alia communem mortalium fortem super-
gressa . Inter quæ encomia debuccinanda tu quoque subinde insignem
leporem ostendis , quod toties de concionibus ab adversario habitis in-
geris , velut re flagitii , quid habente & quod eum ad scensionem Domini
cum triumpho Caroli V. Bononiæ acto comparasse nugaris , qvod alicubi
ex obsoletis Joco-seriis haufisti . Cui dictorio tantum gratiæ inest , ut eo
nomini munus cucullati morionis in aula Regia sperare debeas , naso tuo
tam insulse petulandi in talitra exponendo :

Ut autem mutuum muli scabamus , mi pipio , uti tu de laudibus meis
ad instar agyrtæ circumforanei declamas ; ita ego vicissim pronuntio , te
in arte calumniandi , ubi exercitium accesserit , me ipsum , magnum ejus
artis magistrum , longe superaturum . Id modo deinceps cave , ne pue-
riliter nimis te jactes , & in qvois simpulo fluctus excites ; ac si ego a-
liqvando miserum syllogismum alteri oppoſuerim , aut ad alterius ratio-
cinium qvid utcunqve exceperim , tantos clamores excites , ac si Tur-
cam Viennæ obſidione depulerim , aut Budam expugnaverim ; aut si post
unius diei meditationem tubicini sermonem funebrem exarare potui ,
post per otium expoliendum , id ſpecimen eloquentiaz debuccines velut
orationem Ciceronis pro Milone . Et fane si omnium laborum , qvos
tam pueriliter enumenas , rationem in eas , vix industrii viri trimestrem
operam inde redegeris . Et qvantum meritum erat , titulos articulo-

xum

Formula Concordiae contentorum cum paucis corollariis exiguae
folio impressisse, quod ne semel quidem anui tergiendo sufficiebat. Sic
& ut adversario meo agre facerem, semel atque iterum semipagellas im-
primebam thesibus quibusdam aduersus Socianos percacatas. Nam calu-
mniari alterum instituenti stultissimum erat non atrocissima quaque ipsi
affingere. Sed eo minus clamoris per eas disputationes audiebatur, quod
opponentium nemo ullum unquam librum Socinianum inspexisset, ac
velut effuso thesauro gauderet, si aliquod argumentum centies dilutum
e nostratum scriptis aucupari posset, quo horae quadrantem inter ha-
stationes & screatus extrahendi facultas foret. Video quoque elevari pos-
se testimonium Cancellarii Academiae (p. 107.) cuius litterae non nisi de pri-
mis thesibus mentionem faciunt, quae & ipse nondum viderat. Et ea
erat viri istius humanitas, ut etiam qualescunque conatus probaret ac-
cendenda diligentia. Palmarium tamen opus sine controversia erant
duae disputationes de Notis veri falsique doctoris, quibus & adversarium meum
dissimulato nomine insultare, & collegas meos perstringere instituebam,
quod turbulentiae meae socios se ferre abnuerent. Ubi tamen nescio qua
focordia rem omisisti memorare cum primis festivam, cum alibi frigidissi-
mas ineptias ad naufragium inculcaveris. Cum secunda ejus argumenti dispu-
tatio publicanda esset, mei clientes tota provincia famam sparserant, ve-
luti jam acerrimus conflictus esset surrecturus, adversario mecum comi-
bus congressuro. Itaque non solum quicquid studiosorum Lundis erat,
sed & e vicinis oppidis, vicisque non nulli auditorium stipaverant, magna
cum expectatione sonoro certamini inhiantes. Ast adversarius stultum
judicabat clamoribus mecum ad vetulae instar pisces aut poma vendentis
decertare, sed aliam sat malitiosam viam invenerat me ulciscendi. Nam
cum disputationem meam accepisset, statim collationem suae theses,
meaque antitheses adornabat subiecta brevi responsione, eamque
clam nemine resciscente imprimi curabat. Die disputationis omnes pa-
tulo ore adversarii adventum in auditorium circumspectabant, sed ille
nusquam adparebat. Interim quo diutius iste aberat, eo plus spirituum
mihi accedebat, velut isto congressum formidante, ac vox gestusque in
miram gravitatem componebantur, cum in proclivi esset, longvida ado-
lescentum ratiocinia, quae ipse misellis suggesseram, cum supercilie dis-
pare. Itaque instante jam hora prandii velut victor orabundus vota pro-
tanti praelii eventu alta voce persolvere incipiebam, cum adversarius
per quosdam suorum refutationem suam impressam toto auditorio di-
stribui curabat. Quae res tantum strepitum & risum excitabat, ut nemo
amplius preces meas curaret: & ipse in compendium redigere preces la-
borabam, per quas numini illudebam; quod suspicio esset, nuntium for-
te

te è domo mea allatum , à cane in culinam irrumpte anserem devoratum, qvi princeps ferculum in epulo meo triumphali exhibitus erat. Sed mox cum cathedra descendens quid rei esset cognovissem, qvi antea elato collo ad modum galli post gallinam conculcatam iō pāēn exclamaveram, velut canis aqua perfusus recondita sub alvum cauda discedebam, mixta dolore ira æstuans, multaque gemens ignominiam, risusque petulantis adversarii. Intelligis etiam me non monente , mi Copronyme, quantopere scabiosi versifices, qvibus Durus hereticorum malleus , & Præses inexpugnabilis audieram, refrigerati fuerint, tam ridiculo pugnae exitu auditio ; qvi & antea, dum contumacia vocabula in numeros tornant totum prope occiput crinibus & cute scalpendo nudaverant. Etsi qvocunqve eventu mihi de istorum Poetarum favore gratulor , idqve cum Cæsare Augusto, & aliis magni nominis Principibus singulare arcanum duco claritati conseqvendæ. Et qvamvis Marones & Flaccos non habeam mearum laudum præcones ; tamen cum & ille corvos habuerit salutatores, picæ mihi gracilique sufficere possunt , præsertim cum pro captu patularum mearum aurium stridulus magis, qvam delicatus nimium sonus gratior sit. Et qvia video id scriptum in Eride Scandida nuspiam adparere, ne qva pars ejus fabulæ desit, illud heic subnectere placet.

E. D. B. V.

Brevis Elucidatio Disputationis II. de Notis veri & falsi Doctoris , adversus interdictum SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS, & absqve con- fensi Ven. Facultatis Theologicæ habitæ.

Pufendorfii Thesis.

Fntiamoralia (entibus physicis contradistincta qvorum præcipue species, status, persona moralis, titulus, potestas, jus, obligatio, existimatio, pretium,) sunt modi , rebus aut motibus physicis superadditi ac entibus intelligentibus , ad dirigendam porissimum & temperandam libertatem actuum hominis voluntariorum , & ad ordinem aliquem ac decorem vite humanae conciliandum. de Jur. Nat. & Gent. p.3. Modus ea entia producendi vocatur Impositio, qvæ illustratur exemplis in

in *Apologia* p. 27. seq. Contra hæc objiciebat *Index*. 1. Legem naturæ homini non superadditam, sed concretam. Respondebatur dupliciter. 1. Legem ab ipso non referri inter entia moralia. 2. *τὸ superimponi* male opponi rō concreatum esse. Licet enim quædam entia moralia in ipsa statim creatione homini inhæscent, adeoque ipsi substantiæ physicæ coæva sint; nihil tamen repugnare, quo minus natura & modo concipiendi posteriora & superaddita intelligantur: quia per modum adjuncti inhærent substantiæ physicæ tanquam subiecto. Subiectum autem adjuncto natura aut modo concipiendi prius esse, tralatitium est. Obj. 2. Pontificios etiam tradere, justitiam originalem esse homini superadditam. Resp. Pufendorfi sententia cum errore Pontificiorum nihil habet commune. Nam ipse negat ea, quæ per lapsum sunt amissa fuisse entia moralia, sed sublimioris indolis, nempe perfectiones physicæ. Superadditio autem qualitatis physicæ est plane diversum quid à superadditione seu impositione, qua ens morale producitur.

Schvartzii Antithesis.

Reluctanti legi voluntate, qua nunc vivitur, velut re per se & naturam suam citra legis respectum indifferentem creatum esse hominem, ingenti supercilie docetur.

Replica.

I. Hæc assertio per calumniam Pufendorfio affingitur, cuius contrarium extat p. 136. lin. 10. & denuo inculcatur *Apol.* p. 126. 2. Eadem est ineptissima; & contradictionem involvit, *aliquid legi reluctans indifferentem esse ante respectum ad legem*. Perinde ac si dicerem: qui pedalem habet barbam citra respectum ad barbam imberbis est. 3. Ad informandam Sch. in rebus moralibus ruditatem hoc quoque facere potest, quod bonitas & malitia, quando sunt attributa actionum, medium habeant, nempe indifferentiam. Sed quando personæ aut rei physicæ ad alterutrum habili tribuuntur, non datur medium; v.g. inter rectum & pravum, justum & injustum, integrum & corruptum. Nam lepidi inter malos sunt. Eoque stolidissime queritur; an substantia aut res physica à Deo creata sit indifferentis. Unde funiculos ex arena nequit Schwartzius. Si lex in ipsa creatione homini superaddita, & nunquam sine lege homo fuerit; Ergo Deus creavit aliquid, quod infinitæ ipsius sanctitati & justitiæ adversatur. Id est, quia Deus statim in creatione hominem esse bonum jussit, E. eundem malum ipse creavit. Item; si Deus nullo momento hominem sivit ex legem esse, E. Filius Dei de rebus per se indifferentibus homo factus est. Item; Quia

E

malum

malitia hominis post creationem ipsi supervenit, (qvæ Pufendorfii est assertio) E. in vita æterna rebellio affectuum locum habebit. Qvis talem mentis humanæ stuporem contemplans temperet à lacrymis.

Puf. Thesis.

Deus quidem citra ullum dubium justus est in servandis promissis & exercendo velut munere judiciario, idqve essentialiter. Qvod si tamen aliquid velit se attemperare illi, qvi sacras literas ignorat & non nisi ex ratione petita argumenta capit, incongruum ipsi videtur rationem officiorum, qvæ hominibus invicem exercenda sunt, peti à justitia divina, hoc modo: tu hoc vel illo modo te gerere debes adversus proximum tuum, qvia Deus est justus. Nam 1. ea consequentia gentili non est satis evidens. 2. Justitia humana respicit legem & superiorem, & ponit in altero jus ad exigendum: id qvod in justitiam divinam non quadrat. 3. Objectum justitiae divinæ & humanæ non æqve late patet; qvia v. g. justitia humana etiam versatur circa contractus onerosos; qvi in Deum non cadunt. Qvæ clare ostensa sunt *Apol.* p. 19. seqq. Illa autem velut pars justitiae divinæ, per quam placari humano generi in peccatum prolapso non potuit Deus citra satisfactionem Salvatoris, pag. 1045. *lin.* 8. 9. 10. insinuatur. Ubi expresse protestatio ideo inseritur, ne quis ea, qvæ de justitia humani fori traduntur, extendat ad forum divinum, qvod humano longe rigidius est. Meminisse etiam poterunt, qvi docentem publice audiverunt, eum sæpius inculcasse; in disputationibus contra Photinianos circa necessitatem satisfactionis Christi accuratissime esse distingendum inter indolem fori divini, & humani, & qvod heic obtinet, non statim ibi valere.

Sch. Antithesis.

Deus est justus non ἡματικῶς, à verbis, aut δικαιωμῶς, à judiciis solum, sed & στιωδῶς, ab essentia: eoqve justitia proprie magis illi, quam hominibus competit.

Replica.

Deus servat sua promissa. E. Deus est justus ἡματικῶς. Deus incorrupte exercet qvafsi munus judiciarum. E. Deus est justus δικαιωμῶς. Quid tali ratiocinio stolidius? Sic qvis ita argumentantem ferat: modus agendi, qvo Deus erga creaturas utitur, juste se habet; E. Deus non est justus essentialiter. In Deum propter eminentiam essentiæ qvidam actus justitiae humanæ non cadunt. E. justitia Deo minus competit quam homini.

Puf.

Puf. Thesis.

In facultatibus hominis non est ejusmodi perfecta unio, ut omnes semper amice conspirent, sed illæ sàpissime in diversa abire, sibiique invicem repugnare deprehenduntur. Ast in attributis divinis, quæ ad analogiam facultatum in homine utcunque solemus concipere, perfectissima unio & velut conspiratio est intelligenda, sic ut voluntas Dei ejusdem magnitudini, præstantiæ &c. nunquam repugnare possit.

Sch. Antithesis.

Idiomata & essentia divina unum simpliciter idemque sunt, adeo ut de illis ne *unio* quidem satis recte, nedum *conspiratio* aliqua, vel reflexio vel nescio quæ *Dei voluntas ad magnitudinem & præstantiam ipsius attemperata*, sed unitas simplicissime dici possit: licet formaliter, i. e. juxta modum concipiendi nostrum ita ab se invicem differant, ut nullo modo confundi, nec v. g. *magnitudo & præstantia pro sanctitate & justitia poni*, dicique possit, quod *voluntas Dei secundum magnitudinem & præstantiam*. h. e. infinitatem & majestatem pro illo, quod dici debet, secundum sanctitatem & justitiam, se moveat.

Replica.

Perfectissima *unio* Pufendorfio idem est quod unitas. Et quanquam ex mente Hutteri *unio* illa inter personas SS. Trinitatis rectius *unitas* dicitur; non dum tamen ideo vocabulum unionis circa illud dogma ex Iohannis Theologorum proscriptum fuit. Vocabulum *conspiracy* (cui & particula *velut* additur) carpere, jejuna cavillatio est, quod puto citra piaculum adhibetur exprimendo huic sensui; inter attributa divina nulla est repugnantia, & Deus non agit, quæ sibi repugnant. Nullibi porro Pufendorfius de attributis divinis *reflexionem* dicit; sed ita sunt ejus verba *Apol. p. 18 SI vel maxime essentiam divinam ad modulum nostrerationis vellemus exigere, quod nempe & ipse, quando actionem aliquam est suscepturnus, velut reflexionem faciat super essentia & attributis suis. &c.* Ex quibus nihil pravilicebit colligere, nisi postquam propositiones hypotheticæ categoricis æquipolluerunt. Sed & nondum vidi, qui prohiberet dicere; *Dei voluntas ad magnitudinem & præstantiam ipsius est attemperata*. i. e. Deus nunquam vult aliquid, quod ipsius magnitudini & præstantiæ repugnat, seu quo minus idem Optimus Maximus fit. *Magnitudo & præstantia* sunt vocabula generaliora, quæ *Sapientia, rectitudini, justitiae, & sanctitati* non opponuntur, sed hæc potius includunt. Præstans est, & qui justus, qui rectus, sanctus & sapiens est. Velim etiam scire, annon cum Deus cœlum & terram crearet, sese velut moverit secundum magnitudinem & præstan-

stantiam suam , i. e. ut non solum sapientiam , rectitudinem , justitiam & sanctitatem , sed & omnipotentiam ac bonitatem suam exsereret.

Puf. Thesis.

Libertas omnimoda & omnis impedimenti aut defectus nescia in somum Deum cadit. p. 133.

Sch. antithesis.

Voluntatis divinae non simpliciter quidem, accepta, sed quoad fertur ad illa, quae extra Deum sunt, perpetuum adjunctum est libertas: se ipsum autem Deus, & quae in ipso sunt, non libere, sed per necessitatem naturae sue velle nobis intelligitur.

Replica.

Hæ positiones sibi non contrariantur. Et cum Pufendorfio tantum propositum fuerit paucis tangere, quomodo voluntas Dei se habeat ad ea, quæ extra sunt; non necessum erat ut adderet, quomodo eadem se in ordine ad ipsum Deum haberet, Neque enim tenebatur integros locos Theologicos in opus suum transferre.

Puf. Thesis.

Deus legi non est obnoxius: quia lex proprie dicta presupponit superiorem. *Apol.* p. 18.

Sch. antithesis.

Voluntas Dei nulla ratione à legibus naturae sue discedere potest juxta 2. Timoth. 2. 13.

Replica.

Quod Deus se ipsum possit abnegare, nemo unquam afferuit. Sed id valde dubium est, an rite hæc consequatur: Deus se ipsum non potest abnegare. E. Deus est obnoxius legibus proprie dictis, ieu quæ à superiore proficiscuntur. Si quis impropria legis acceptione se jactare velit, per ipsum licet.

Puf. Thesis.

Difficile erit probatu, legem naturalem ita ad sanctitatem & justitiam divinam esse expressam, ut quomodo se Deus erga creature suas & peculiariter adversus homines gerit, taliter etiam sese homines invicem, jubente naturali lege, gerere debeant. p. 164. & *Apol.* p. 19. Ratio inter alias hæc subjungitur, quia actus justitiae divinae & humanæ non æque latet

te patent. Eoque nomine proprie & accurate loquendo lex naturalis hominum negatur dici posse εκλύπωμα justitiae divinae.

Sch. antithesis.

Adducitur locus B. Gerhardi, ubi lex sanctitatis, misericordiae, & perfectionis divinae εκλύπωμα, & velut απεικόνισμα proponi afferitur.

Replica.

Gerhardus videtur ista vocabula paulo laxius accepisse, quod satis innuit particula *velut*. Saltem inadæquationem inter justitiae divinae & humanæ actus non negavit. Forte etiam de illa tunc in mentem ipsi non venit. Qui autem Pufendorfio vult contradicere, talia dicta Scripturæ Sacrae adferre debet. v. g. Reddite debita vestra, sicut Deus solet creditoribus suis reddere; estote grati, sicut Deus gratus est suis benefactoribus; obedite Regi, quia Deus obedit superioribus suis. &c. Deinde ideo noluit Pufendorfius sequi hanc viam demonstrandi officia hominum juxta legem naturalem; estote justi, quia Deus est justus; quia evidentiam hujus consequentiæ non capiunt gentes Scripturam Sacram ignorantes; quæ non modica pars humani generis est. Demum quia Pufendorfio de lege naturali & morali tradere non est propositum, quatenus illa aliquem usum habet in Theologia, nihil repugnat, esse aliquam considerationem legis apud Theologos, quæ in disciplina juris naturalis, quatenus ea foro humano subscriptit, non attendatur. Inde subiectitur manipulus consequentiarum valde ægratum, & quæ vix ossibus harent. Qui nescit legem Dei esse ad æquatum εκλύπωμα justitiae divinae, ignorat legem, nescit peccatorum deformitatem; etsi norit, per ea offendit Deum, qui est fortis Zelotes, & potest animam & corpus perdere in gehenna: non capit denique necessitatem Salvatoris. Si hæc ratiocinia admittimus, omnes eos regno cœlorum quoque excludemus, qui non credunt, Deo eadem quæ hominibus officia incumbere.

Puf. Thesis.

Omnis motus & actiones hominum, remota omni lege tam divina quam humana, & quatenus considerantur tanquam nudus motus physicus alicuius potentiae physice sunt indifferentes: & in actionibus hominum nihil est honestum aut turpe antecedenter ad Deum. Vid. p. 25. 26. quæ latius explicantur in Apol pag. 35. seqq. item in *Appendice contra Veltbemium* p. 738. & in *epistola ad Scherzerum* p. 789. Quæ ita perspicue exponuntur, ut cui ea adhuc obscura sunt, illi nihil clari esse queat.

Sch. Antithesis.

In particularibus agendis hominis ratio ita obscurata fuit, ut que PER SE mala sunt, licita esse judicaret.

Replica.

Si isthæc assertio Pufendorfio tribuitur, quasi is statuat, per se mala esse licita; tunc calumnia jam apicem tetigit, ut quo ulterius progressiatur, non habeat.

Tandem Schwarzius hujus quæstionis nodum Gordium sua responsione dissolvere instituit: *Cur quæ ratione vel lege naturæ prohibentur, absolute, per se & suæ naturam sint turpia?* Respondet, & quidem pie ingenuæ atque liberrime; (præstabat unico vocabulo dixisse beroice.) Non ideo quod rationi repugnant, (hoc enim Circulus esset,) sed quod sapientia & justitiae DEI, adeoque summe rectitudini intellectus & voluntatis divinæ adversantur. Ubi primo observandum, quæstionem hanc ex mente Velthemi & aliorum vitilitigitorum inepte hoc modo concipi. Nam ille rō per se & sua natura optionunt cuivis rationi à priori: seu quando aliquid per se & sua natura honestum aut turpe dicitur, nullam amplius rationem inquirendā putant, sed plane in eo adquiescere jubent. Unde etiam iidem importune clamant; honestum & turpe, quod per se tale est, antecedenter ad voluntatem Dei se habere. Ut mirum sit, Schwarziū jam in sociorum copias ruere, adversus quos ista, quæ hæc ab ipso disputantur, pertinent. Et sane Pufendorfius in hac controversia nihil aliud egit, quam ut originem moralitalis legisque naturalis ad Deum revocaret, eiqve supremam potestatem legislatoriam assereret. Deinde quæ tanto cum supercilioso profertur responsio, obscuritate & ambiguitate laborat. Nam non satis distincte exprimitur, utrum, hoc, quod ea per se turpia sapientiæ & justitiæ Dei adversantur, ex jussu & sanctione ipsius Dei provenerit; an vero citra eandem in ipsa rerum natura existiterit. Posterior sensus re ipsa transit in partes eorum, quos rejicit. Priore sensu Pufendorfio non contradicitur sed potius ejus sententia adversus cæteros clamatores asseritur. Sed tunc tertio notandum, eam responsum esse remotam, & velut saltum committere. Nam proxima & immediata responsio est hæc: quia Creator ita naturam hominis formavit, ut ista non possent non eidem esse vitanda. Ast si ulterius quis querendo instet; cur Deus ita naturam hominis formavit? tunc demum responsum nullum supereft quam quod Deus id sapientiæ & justitiæ suæ congruere duxit. Cæterum postquam in re ipsa nulla est dissensio, inane deinceps litigium fuerit anxie disputare utrum ea necessitas, quæ creationem talis creaturæ, liberrime factam, præsupponit, hypothetica, an oboluta, ad se aut per se vocetur. Nam eo-

eodem res redit, necessitatem absolutam, an hypotheticam certos gradus habere dicas. Sed quod *ultimo* Schwarzius negat omnes actus turpes v.g. blasphemiam incestum, &c. vel honestos v. g. cultum Dei, castitatem, temperantiam, supponere creationem animantis rationalis & socialis i.e. hominis; nosse debebat, Pufendorfum inquirere, quæ sint necessario honesta aut turpia *bomini*. Et cultum Dei, qui Angelis necessarius est, utique creationem substantiæ intelligentis presupponere. Cultus enim concipi non potest, nisi sit inferior, qui eum exhibeat. Sed an in spiritus illos castitas & temperantia proprie dicta cadat ex ea quæstione dependet: an diversitas sexus in Spiritibus deprehendatur, aut quænam sit eorundem diæta? Quæ nosse an sit articulus fidei nondum constat. Deo autem ipsi cultum sui esse necessarium, seu ut se ipsum colat, contradictionem involvit. add. *Apol* p. 17. lin. 23 seqq.

Ex his igitur, qui eruditione & judicio à præjudiciis & affectibus vacuo pollent, facile agnoscunt, quod pretium sit ponendum specimeni huic *Præsidis inexpugnabilis*, quando tirones habet opponentes, & *duri hereticorum mallei*, qui cum suo *Klop Klap* hactenus nostra *studia* & quietem non parum impedit: & tanta animi intemperie laborat, ut tam anxiis publice temporibus inania ista litigia, S. Regiæ Majestatis mandato dum quiescere jussa, nunc ita importune instauret. Præsertim cum vel tirones jam agnoscant, quos Pufendorfio errores olim circa statum naturalem magno numero affingebat, è crassa inscitia promanasse, quod inter statum naturalem theologicum & politicum distinguere nesciret. Facile quoque erat suspicionem cæterorum errorum exuere, si istius declarationem pacato animo voluisset trutinare, & non omnia in sinistram partem rapere. Cætera in quibus revera dissensio aliqua est, philosophica sunt, circa quæ nunquam Pufendorfius Schwartzio alicui ingenium suum servitio mancipare dignabitur. Quod si autem omnino tanta eum conscientiæ fermentatio strangulabat, ut quos semel animo sibi finxerat errores, publicè, non obstante Regiæ Majestatis interdicto, impugnandos duceret; fas sane est alteri, cuius jugulum petitur, indiscreti illius zeli & à scientia destituti importunitatem strenue repellere. Neque enim minus pium est innocentiam suam defendere, quam alterum infamare. Sed quid mirum, Pufendorffum ab isto viro infestari, qui velut si non compos universam hujus Regni Nobilitatem, & multos præterea alios atrocissima injuria afficere hac ipsa disputatione §. 50. non veretur, dum scribit: *Non PRIMORES solum populi nostri, sed interioris etiam sortis homines, diæcetæ puta, &c. pro MENDICISSIMA SUA SUPERBIA privatos sibi, suæque servientes libidini Doctores eligunt, qui sacra in cænaculis suis ad caminum, pueris interea nugantibus, faciant verbumq;*

Der

Dei ita explicit, ut non adplicant &c. Non DEI & CHRISTI NOSTRI, sed DIABOLI NOMINE & AUTORITATE congregantur, qui cunque perverso hoc more congregantur. Ut enim demus, apud nonnullos abusum heic intervenire; tamen promiscue, sine exceptione aut limitatione, summos & inferiores arguere, qvod ex mendicissima superbia domi suæ sacra obeant, ad quæ doctores libidini suæ servientes eligant, eaque sacra inter nugas puerorum exerceant; simul omnes istos Concionatores neglecti munieris accusare; & qui domi suæ congregantur, in nomine & autoritate Diaboli congregari, cum tamen ea sacra velut domestica utique ab Episcopis eo ipso adprobentur, dum concionatores ad ea sacra obeunda ordinant: nonnisi ejus est, qui heroico furore inclarescere cupit. Quo nomine, an quos tanta injuria proprius tangit, eam facile deglutire velint, ipsi viderint.

Hactenus adversarii scriptum; qvod ideo adponi è re erat, ne quid mearum victoriarum, quas vapulando reportavi, silentio obsoleceret.

Postquam igitur & convitum adversario tam lepide dixisti, & elo-
gia mea tam decore debuccinasti, jam secundo loco quædam, quæ Indi-
cem nostrum circumstant, monere tibi placuit. Ubi id quidem pie ad-
modum (p. 114.) Deo ita dispensante factum scribis, qvod Index meus jussu
superiorum suppressus per Nic. Bockmannum in lucem protraheretur, ut
publicum specimen extaret, quantum ego calumniando valerem. Sane uti
ejusmodi litigia, & calumniarum, mendaciorumque strues Deo pacis &
veritatis auctori magnopere placent, ita quinidem istius rixæ autoribus sua
præmia sit persoluturus, dubitare non licet. Ego sane habeo qvod mi-
hi gratuler, velut qui opera Eridis Scandicæ me humo sustulerim, lateque
vitilitigator per ova virum volitem. Cæterum ista sibi non repugnant,
inclarescendi, & alterum perdendi causa quid suscepisse. Nam perditio
celebri viro perdentem utique claritas nominis insequitur. Quod autem
conatus meus eo quoque spectaverit, ut adversarius fortunis exueretur,
satis manifestum est; quia si Proceribus & Clero Sueciæ persuadere potuisssem,
talia ab adversario revera doceri, quæ ipsi affingebam, male cum
ipso actum fuisset, si leges ejus regni cogitemus. Quod autem iste ef-
fectus non est secutus, non bonæ meæ voluntati adscribendum, sed in-
dustrie adversarii qui ita perspicue, & ad captum etiam minus eruditorum
calumnias & cavillationes meas discutere valuit. Neque vero opus
erat, ut ipse alios in perniciem adversarii diserte stimularem, cum noxa
ultra secutura fuerit, si quæ impingere ipsi volebam dogmata aliis adpro-
bare potuisssem. Et quorsum alio spectabat quam ad perdendum adver-
sarium, quod negotium ad Archiepiscopum Upsaliensem referrem, eum-
que toto cum clero in partes meas pertrahere conarer. Etsi illi haut
visum

visum in mei gratiam, & Winstrupii delirare. Conatus tamen meos in contrarium vertit, quicquid ringerer, ferendum fuit, qvod iste invidiæ rixarumque ignobiium pertæsus, academicæ vitæ nuntium remiserit, & in aulam se contulerit, splendidiore longe conditione & labore ætatem exacturus. Quam fortunam tamen dubito an mihi meisque sociis acceptam relaturus sit.

In sequentibus (p. 118.) grande abs te erratum admissum fuit, quod me *Afini Dominum* vocas cum Afini viticus duntaxat sim. Non enim ut cum patris nomine Domini quoque est conjunctum, ita vitricus quoque idem semper cum Domino est; nisi forte protua pietate agnoscis, quia animum tuum ad impudentiam & maledicendi libidinem formavi, ideo & patris in te jus & Domini me mihi quæsivisse. Porro me jndicis per carnificem combusti autorem non fuisse luculento argumento probasti, quia nempe adversarius semper, quando de illo facinore loquitur, Tenebrionem per convitum vocat autorem anonymum Jndicis editi. Ubi quidem simplicissimum fuerat dixisse, adversarium ad nomen meum alludere, cum nigredo sit color tenebrarum, qvod etiam vulgari dictione adprobatur; per tenebras omnes vaccæ nigræ sunt. Ast tibi sublimius philosophari placuit, velut Tenebriotalem notet, qui (p. 119) mali quid ubi fecerit lucem fugiat, quique qvod hypocritarum est, veritatem in honorem Dei confiteri non audet. Quod quidem à me longissime abest quippe qui calumnias meas apicari gaudeo quod scelera in occulto exercita alteri quidem noceant, sed autori famam non pariant, quæ mihi ante omnia affectatur. Videris tamen non sat attendisse, ab adversario Jndicem meum, & illum quem N. Beckmannus edidit, pro uno & eodem haberi, simul & que mihi atque isti vocabulum Tenebrionis, & quidem cum prænomine Afini, tribui. Quod nomen quare non in me quoque theologum sensu theologicō qudarare possit, haut video. Sane opera tenebrarum instinctu patris tenebrarum patrata, habentur non ea solum quæ in occulto, sed & quæ in publica luce sunt. Eoque opus tenebrarum est sive per anonymum Jndicem errores alteri affingas, sive palam & nomen tuum professus id facias; nisi quod majoris impudentiæ signum sit, palam malitiam suam expromere, eaque velut re egregrie gesta gloriari. Sic igitur duo erunt Tenebrionum genera statuenda, unum eorum, qui si quid mali fecerint lucem fugiunt, quæ hypocritarum est; alterum qui veritatem in honorem Dei confiteri non verentur, quod heroum est, inter quos ego semper nomen professus sum meum. Qualis & Nic. Beckmannus esse poterat, ni metus infamiae per judiciale sententiam infligendæ misellum terruisset, quam tamen omni licet cautione adhibita declinare non potuit. Ast si palam famosi se autorem libelli tulisset,

F

tua

tua sententia id in honorem Dei cessurum fuerat. Qvod et si superstitiosulis quibusdam forte durum dictu videri possit, sceleribus honorem Dei obtendere: tamen nobis, qui fortius theologicamur, utique pertendum est, sancte pieque ambitioni, invidiae, malitiae & crudelitati nostrae honorem Dei praetexi. Hoc ipso enim nostrae actiones sanctae, gloriosae & meritoriae habentur, aut saltem inter homines ob reverentiam nigri pallii impune sunt, cb quae alii fustigationem aut patibulum nobis hominem jactata, tantilla peccata, ut inclarescat candelabrum Ecclesiae, quod citra ejusmodi facinora velut modio obiectum intra tenbras. Et sane si quis genium tui scripti consideret, & quantum in illo non solum omnes virtutes, quas sana ratio dictitat, sed & quas religio Christiana peculiariter inculcat, reluceant, nullum amplius dubium est, quin & ego veteranus corvus & tu pullus corvi nil praeter honorem Dei in corde, ore, & calamo habeamus, eumque insigniter promoteamus, flocci facientes illos, qui nobis occinunt istud Lutheri: Ach Gott der teure Nahme dein / muß unser Schalkheit Decel seyn. Ceterum meo exemplo clare patet usus regulae illius juris: si fecisti nega, praesertim si quis uti ego ita recte rem gesserit, ut adversario indica non suppetant, quae ad flagitium in foro humano convincendum sufficiunt. Unde audacter potes adversarium poscere probationem ejus facti, praesertim cum is non solum inglorium ducat ejusmodi sterquilinium hominis, quale tu es mendacii convincere; sed & quia iste nunquam tam fatuus erit, ut in Stiria Nic. Beckmanno inquirere tanti ducat, num me conscientio & suggerente Index impressus sit, Qvod etiam liquidissime probatum neque adversario proderit, qui nullo discrimine meaque ac Nic. Beckmannum nebulonibus habet; nec mihi nocebit, qui magnum partem famae meae qualicunque Indicis ejus editioni debeo. Addis porro ratiocinium invictum, & meo fastigio dignum: si solatio mihi fuisset per Nic. Beckmannum libellum famosum spargi, scandali & conscius & cupidus fuisset. Atqui verum est prius E. & posterius. Sed accurate distingvenda sunt tempora. Nam tunc quidem, cum uno sub Rege ageremus, tectius mihi malitia erat exserenda, qvod in communi foro conveniri, plectique possem. Sed nunc alium dominum nactus, nec paenam fori civilis metuens, intrepide calumniis spargendis jactare me possum, & ultiro Nic. Beckmannum scandali arguere, quod suppresso nomine Indicem nostrum ediderit. Nam qvod ego tantus Præfus pro cathedrapronuntio, scandalam est non solum, quando veritas timide propugnatur, sed & quando calum-

calumniæ ac mendacia clanculum & velut meticuloſe ſparguntur. Nam degeneres animos timor arguit. Et magis odiosi ſunt clandestini ſicarii & qvi pulverem ſucessionis miſcent, qvam publici graſſatores. Unde & mi Wildſchiffi, ſi tu & Nic Bochmannius eodem patibulo ſuſpendi deberetis, tibi citra controverſiam à dextris pendendum fuerit, velut qvi nobile tuum nomen famoſo tuo ſcripto præſcribere non dubitaſti. Circa Rectoratum meum non habeo multum qvod moneam; niſi qvod video, te ex frivola qvantumvis re anſam gloriandi captare; veluti qvod ſcribis (p. 120.) Venerabili uni viro à toto collegio academico munus rectoris ſumma voluntatum, ſtudiorum, & ſententiarum conſenſione fuifſe decretum. Crederes Pontificem Romanum, aut Ducem Venetiarum fuifſe electum. Nani munus iſtud academicum in orbem ire nemini ignotum eſt. De mutatione autem literarum Regiarum tutum eſt tibi mentiri. Cui enim iſta refutare curæ erit; Et cum omnes ſchedas etiam obſcurorum virorum hoc ſcripto conſtipaveris, valde ſuſpectum eſt, eas literas Regias abſ te ſuppreſſas, niſi qvod in promtu ſit ea excuſatio; nemo tenetur allegare propriam turpititudinem. Sicuti & literæ Cancellarii, qvas producſis, revera ambiguae ſunt; uti approbo, ita ſubſcribo. Cæterum ut probes, me reſcripto Regio non fuifſe immorigerum, ſubtiliter tu qvidem illud diſtingvis, & ita limitas, ut ejus viſ plane enervetur: non diſſiteor tamen, ſi Sereniffimi & Potentiffimi in uinc Regis mei mandata tali modo cavillati auderem, minimam mihi pœnam fore in Sveciam aut in patriam relegari. Sed & qvæ ſuper elencho nominali gannis, qvo me abſtinuifſe ſcribis, inania ſunt. Nam perinde habetur ſive nomen exprimas, ſive ita rem deſignes, ut omnes de qvo fermo fit intelligere queſtant. Sic ſive qvis dicat; privignus Præſulis p.t. Slevicensis, id corium fœtens per qvod canis invida mingit; ſive dicat, Severinus Wildſchyſſius, unum idemqve dixerit. Id tamen omni jure licitum erat, (p. 124.) poſtqvam adverſarius Apologiam ſuam ediderat, ut & ipſe ſilentium abrumperem qvod illa tam patulam & pronam mihi ad famæ celebritatem viam ſterneret; ne Nic. Bockmannius ſolus laudem ob tam præclarum indicem reportaret, neve ego ſalutem Eccleſiæ neglexiſſe arguerer, qvæ ſciliſet in manipulo calumniarum & cavillationum vertebarū.

Porro an adverſarius reſte ſcripſerit, Indicem meum à carnifice combuſtum, an tu idem neges (p. 125.) ex hac qvæſtione decidendum eſtit: Utrum Virgilius definat Virgilius eſſe additis commentariis Servii? Nam meus Index, & combuſtus ille circa essentialia non differunt, niſi qvod leviora qvædam capita omissa ſunt, & qvædam de persona adverſarii allata. Ad extreſum tamen ex te erumpit vox me Vitrico digna; ſi vel maxime meus Index combuſtus fuifſet, ego ta-

men honore dignus Doctor perstitissem, sicuti iis qui in effigie suspensum
duntur, ne hilum quidem existimationis decedit. Neque enim dignitas
mea infracta magis ea re fuisset, quam ipsius Christi & Apostolorum. O-
hejam satis, ohe libelle! Sane nihil amplius superesse video, quam ut ad
imitationem S. Francisci novus jam liber prodeat de Conformatibus
Iosuæ Schwartzii ; qui te autore non minus barbarici & stultitiae expri-
met, quam si ab impudentissimo quopiam monacho compositus fuerit.
Modeste admodum, fateor, & reverenter de salvatore mundi sentit, qui
tam scabiosam causam cum illius passione comparat ; præsertim cum è
toto tuo scripto à capite ad calcem Spiritus Christi tantopere reluceat.
Cujus & mansuetudinem mire exprimis, quando in Indicem Eridis Scan-
dicæ tam enormiter excandesces; etsi bilis illa incassum effunditur, quod
index iste non ab adversario sit confectus, sed à correctore in typographia
Francofurtana ; cui eo facilius ignoscere debes, quod rerum haud ita pe-
ritus uno in loco in errorem incidat, cum meus Index quantus quantus
è calumniis sit compositus. Alias certissimum est, nisi in fugam me de-
dissem, infamem relegationem è Svecia mitissimam mihi pœnam fuisse
futuram.

In tertia scripti tui parte minus ferociæ videris ostendere, mi privi-
gne, quam in prioribus, forte quod facilius sit visum convitia in alium
eructare, quam propria flagitia defendere, & quia reorum conditio sem-
per spiritus imminuit. Et nescio quid indignitatis habet de capitali cri-
mine argui eum, qui velut propheta divinitus inspiratus fallere nefici-
am sibi autoritatem arrogaverat, ut si is errorem aliquem alteri objicere
voluerit, huic ne diluendi quidem facultas reliqua censeretur. Quam cir-
ca causam video te adversario objecille, (p 19.) quod is ob concionem
habitam in me eam tempestatem excitavit. Sed cum nullum ejus rei i-
doneum testimonium afferre queas, si idem te mentiri pronunciet, quid
reponas non habes. Nec probabile videtur, eidem de me cogitandi o-
tium tunc fuisse, quando satis habebat post prælium Lundense Malmo-
gia se suosque Homiam subduxisse. Revera autem ut de concione mea
moveretur, præpropera mea ambitio in causa fuit. Cum enim sub id
tempus Episcopum Revalensem fato functum inaudisset, eam spartam
ambitus in castra Regia ad Christianistadium properabam, petitis à
Gubernatore provinciæ commendatitiis literis. Ast ille, cui de actionibus
meis satis constabat, in eum sensum scripserat : se non credere Regem patriæ
suxfore tam inclementem, ut ejusmodi hominem, qualis ipse essem, Episco-
pum eidem dare velit. Unde responsum mihi est : ubi de actis me pur-
gaverim, fat temporis fore de promotione cogitandi. Ita in Cancella-
ria illusus & irrisus pedem domum referebam. Ac post minus turbu-
lento

lento provinciæ statu cum super reliqvorum perfidia inquireretur, de
meo qvoqve facinore motum, postqvam adversarium laboribus suis im-
mersum Lundarum jam plane oblivio ceperant. Deinde valde dubito,
an hominibus scrupullosis illam necessitatem, qva me ad eam concionem
habendam impulsum scribis (p. 130.) adprobatus sis. Cur enim, cum
per qvinqve prope menses suggestu abstinuisse, utique Dominica XXIII.
post Trinitatis publice dicendum fuit? An non licebat catharrum ex-
cusare, autumnali tempestate, aut ad aliam diem dominicam concionem
differre? Cur deniqve ad qvæstionem tam arduam & ancipitem descen-
sum, cum alias nihil proclivius nobis sit, qvam è qvovis Evangelio de
qvavis materia differendi ansam arripere? Tum & qvætri possit, qvo indi-
cio aut testimonio probari queat, non alia me tunc pro concione dixis-
se, qvam qvæ postea scripto exhibui? Nam non credent homines adfuis-
se notarios juratos, qvi verba mea calamo exciperent; eoqve mihi scri-
ptum meum interpolare in proclivi fuisse. Et nimis aperte omnia, qvæ
negotium illud circumstant, arguunt, me isthuc argumentum studio e-
legisse, ut odium in Svecicam nationem dudum conceptum evomerem,
ac Danorum gratiæ adreperem, viamqve mihi ad novam fortunam ster-
nerem, postqvam Svecorum res tunc in ea provincia sat afflictæ vide-
bantur. Id tamen haut inficias iverim, dicta Scripturæ qvæ eo loco al-
legavi, ad præsentem casum non quadrasse, prout moris & multis mei si-
milibus sententias Scripturæ præter nativum sensum longius extendere,
sicut futores corium dentibus solent. Nam neqve Paulus *Rom.* XIII.
de hostibus, sed magistratibus legitimis agit; & *Mattib.* XXII, 20, 21. Ti-
berius non erat hostis, qvi adversus legitimum Judææ Principem bellum
gerebat. Nec. dictum *H. Petri* II, 19. ad bella, prout ea nunc inter Chri-
stianos geri mos est, applicari potest: nec imperii statim mutatio fit, ubi
hostis partem aliquam provinciæ opprimit, legitimo domino ad hunc
expellendum in procinctu stante ac toto cœlo imperium, & vis cogendi
differunt; & dum Deus tradiderat Judæos in manus Sisak, hic non ideo
imperium proprie dictum in istos acceperat. Ac fatis in aperto est, ubi
ad ejusmodi qvæstiones perventum est, qvo ex Jure & Politica deciden-
dæ sunt me ac meis similes esse asinos ad lyram. Sed & ipse adhuc dubito,
num magnifice fidem meam erga Serenissimum & Potentissimum Regem
Sueciæ liberarim, qvod civibus Lundensibus diffusaferim, ne in Suecos
militarent, vel potius ne in eosdem latrocinia exicerent nevè adeo cor-
vos in rotis palcere vellent; sic ut circa eam exceptionem non habeas,
qvod te magnopere jaëtes, (p. 136.) In eo autem mire genium, meum
exprimis, qvod nuspian bona fide verba adversarii adducis, sed semper
in alienum sensum eadem rapis. Nam locus ille ex libro VII. c. 8. 10.

Operis tantopere mihi exosi non loquitur de praesenti casu, ubi inter duos hostes bellum geritur, sed te tali statu, qualis in Anglia erat, Cromvel'i tempore, Quod ex adducto Sandersonii loco (p. 141.) manifeste adparat; ubi legitimus Princeps haeresq; Regni Carolus II. invasori Cromvello qui summam rerum in se traxerat opponitur, non hosti extra-neo. Inter quæ duo plurimum interest. Uti & ingens discrimen est, inter Regem legitimum, suas ditiones adversus extraneum hostem defendentem, & duos ex jure successionis super aliquo regno certantes. Unde & tam hanc Sandersonii, quam eidem conspirantem Pufendorfi locum in apologia mea imperite allegavi ad excusandam patibulo dignam illum meam concionem nisi quod malæ causæ defendendæ etiam sophis-mata adhiberi mos est. Ad extreum quoque metuo, ne plane fidem tuam decoxeris qvod de prælio ad Lundas scribere non erubescas (p. 144.) postquam vario Marte pugnatum esset, nox interventu suo prælium diremit velut neutra pars victoriam sibi attribuere deberet. Nam si de facto per totum orbem notorio ita improbe mentiri non dubitasti quid fidei merebuntur quæ de invisissimo nobis viro nullo teste commentus es? Sic & nullam veri speciem habet, quod scribis; adversario potissimum au-tore per Gubernatorem Scaniæ missos, qui me ad causam dicendam at-traherent. Nam cum alii ob similia crimina rei peragerentur, non po-terat non de me quoque in mentem venire, cum concione mea patibu-lari ultro disseminata ipse mihi velut turdus exitium cacasse. In pace porro inter duo Regna Borealia constat per amnestiam omnia facinora, durante bello patrata, haec tenus sublata esse, ne quis eo nomine deinceps in foro humano conveniri queat. Id tamen ea in pace legisse non memini, neminem mihi flagitum id unquam exprobrare debere, ne illum quidem, cuius ego existimationem atrocibus calumniis maculare studui, aut ut omnino pro bono viro, qui nunquam perjurio se obstrin-xit, habendus sim. Et quare tu, mi Wildschyssi, post tot annorum in-tervallum injuriæ arguis Gubernatorem quondam Scaniæ, qvod senten-tiam in judicio latam in Nobili Scano executioni dederit? Frustra quo-que adversario occinis, quid honoris mihi in Dania obtigerit; nam is pro pervicacia sua negabit eo se impediri, quo minus calumnias à me, meisque ipsi intentatas quantum potest acerrime repellat. Praesertim postquam vesania mea eo usque provecta est, ut fædissima quoque menda-cia à nebulone Nicolao Bockmanno insulse conficta, & de quorum falsi-tate mihi ipsi constat, lutulento tuo calamo refricari fecerim. Qvanquam autem eo facto nihil aliud obtinuisse videmur, quam ut non minus at-que Bockmannus iste impurissimi calumniatores habeamur; id tamen non obstat, quo minus in sinu gaudeam, tuo qualicunque scripto tan-
itam

tam accessionem factam ad claritatem nominis mei, cuius me tanta sitis semper ussit. Et quid alii tetrici homines de me sentiant flocci facio, dummodo poetæ mihi applaudant, qvorum mirum favorem qvod semper expertus sim, geminæ cum Cæsare Augusto fortunæ augurium interpretor. Qvos non solum è literatorum ordine olim inveni; sed & nunc è sagatis hominibus non neminem cœstro poetico correptum in meas laudes rabida ora resolvere conspicio. Cujus tamen vena cum sat tenuiter stillet, valde latior proxima æstate gloriose Venetorum armis Acrocorinthum captam, ubi Hippocrene adhuc uberibus aquis manare dicitur, proluendis Poetarum fauibus tam efficax. Unde sapientissimæ Reipublicæ provisu aliquot naves ista aqua onustæ paucos ante dies Hamburgi adpulere. Ejus aquæ in grati animi testimonium encomiastæ nostro dolium unum alterumve dono dabimus, qvo is aventia ora humectare queat, ut deinceps aliquid minus stridulum sonet. Cui aquæ qvanta efficacia insit, vel ex hoc specimine colligere licet, qvod amicus qvispiam noster, cum exiguum ejusdem poculum curiositatis causa delibasset, repente instinctu poetico correptus isthoc carmen in honorem tui effuderit; ut intelligas, te non minoris à Poetis, quam me, fieri.

Arcadica increpuit Bileamum bestia vatem,
Cujus erat duro fuste petita nimis.
Hispida rudenti cum solveret Angelus ora,
Flammigero claudens Angelus ense viam,
Wildschyssi nobis asinum mire exprimis illum;
Sessitat in labiis syada aliena tuis.
Hoc discrimen inest, agitavit candidus istum,
Per te qui fatur spiritus ille Niger.
Dumque manu irata furiale lampada vibrat,
Frustra aliquem sperat cedere yelle sibi.
Sed tu qvod magni pressisti crura Patroni,
O pecus auritum! fuste domandus eris.

Madrigal.

Ein graues Thier mit langen Ohren/
Das in Arcadien gar häufig wird geböhren/

Ran

Kan durch des Engels Trieb /
Der mit den Flammen-Schwerd den Weg verhieb /
Dem Bileam gar trozig flagen /
Daz er im Zorn es tapffer abgeschlagen.
Wildschuß du bist furwar derselbe Esel /
Nur daß ein Schwarzer Geist /
Der aller Lügner Vater heist /
Die Lästerung so dein Schand-Rachen führet /
Dir eingeklaßen durch die Hinter-Kerbe.
Hab nur Gedult bis man wie sichs gebührt /
Dir deine Esels-Haut mit Prügeln grabe.

Hæc in præsens occurrabant, quæ circa scriptum tuum monere placuit, quod genium meum mire exprimit, ac tuum nomen lato per ora virum differet. Maete hos specimine, mi fili, nec dubita, postquam eo ipso frontem perficere cæpisti, qvin ad majora patranda idoneus sis futurus. Unum tantum memineris, quod ego in studio famæ affectandæ palmarium semper duxi, ut qva calumniandi dexteritas non pertingit, impudentiam assuas. Ita fiet, ut ex absurdio quantumvis certamine nunquam mutus sis discessurus.

Qvia tamen, mi fili, tibi forte parum gratum est, me ad omnia tua adulatoris instar euge! bene! non poterat melius! acclamasse, sed hinc inde qva impegisti annotasse, non sine significatione qualis quantusque sis; en ut candorem meum perspicias, par quoqve specimen in meis scriptis edam, & conciones meas, quæ me è patria tua expulerunt, obiter percurram, ac si qvæ ulcera & ibi occurant, levi brachio tangam. Ne qve mirum hoc tibi videri debet, quod eo ipso ultro agnoscere videar, non omnia, qvæ è cathedra Sacra à nobis proferuntur, oraculorum, & verbi divini sanctimoniam habere, aut nos semper, quando publice in templis declamamus, verbum Dei prædicare, uti vetulæ sibi persuadent, & ut omnes ita credant magnopere nostra interest. Sed mi Severinio-le, animi mei duicis imago, non possum quin ingenue tibi confitear, quod non facile alteri facturus sim: Esse qvidem nostri officii, ut verbum Dei pro cathedra explicemus, atqve idem amplectendum, factisque exprimendum auditores hortando, monendo, observando, quandoqve & increpando permoveamus; extra hos limites ne evagemus, ac ran-

rancorem nostrum , privatosque affectus , quandoque & vanitatem at-
que ineptias ab eo loco longe abesse jubeamus . Uti sane agunt reli-
giosuli quidam , qui semper nescio quam adificationem Ecclesiae in ore
habent . Sed ego , cui magna potius quam bona fama aestimatur , autori-
tate cathedrae sacræ haut timide utendum censeo , quo minus è loco tam
conspicuo evomamus , quicquid veneni in nobis invisos purulento pecto-
re conceperimus . Et quanti est , inter aniculas ac iudicem plebeculam in
virorum eruditorum scripta posse invehi , mirasque tragedias ex-
citare , aniculis interim ingemiscantibus , & nescio quem Hannibalem ad
portas somniantibus . Nam si calatum in istos stringere vellemus , in
promptu responsu n foret , aut si in os eadem ingerere auderemus , digna
indigna vicissim audienda forent . Sed nunc ex isto loco clamantibus
nemo nobis opponit , nemo eo nomine actionem nobis intentare audet ;
aut si fecerit , non deest exceptio , qua vim accusationis elidamus , præser-
tim apud judices , fere nostri favore imbutos . Sane ego , qui alias non-
nisi furtivo dente adversarium arrodere audebam , ubi sanctum illud li-
gnum confundebam velut cœstro percitus quicquid in buccam veniret in
istum jacere gaudebam , & quando auditores oculos mihi turgere , faciem
rubore suffundi , vocem exasperari , anhelitum cieri , manus denique ,
totumque corpus tremere conspicerent , jam demum vivam se imaginem
mansuetudinis & modestiae Christianæ cernere judicabant . Ut igitur
qualis in cathedra sacra fuerim , & quam salutaria ibi docuerim , alii quo-
que , quorum aures faux mea non rasit , intelligere queant , conciones
meas ut ita loqvar patibulares publici juris facere visum , quas & egregia
præfatione præmissa Magno Viro dedicavi , ut uno intuitu perspicere
posset , quanti nebulonis accessione Regnum Daniæ auctum foret . Nam
dum maxime circa veritatem , quantum illa tum omnibus hominibus ,
tum præcipue nostro ordini profitenda sit , declamo , speciminis loco ma-
litiosissimum calumniæ genus adfero , cuius improbitate etiam innocentissi-
mum calumiæ genus adfero cuius improbitate etiam innocentissimum
doctrinæ genus ita detorqueri possit , ut non desit color atrocissimum a-
theistæ convitium in alium jaciendi . Tunc demum enim immanitatem
odii nostri sat ponderoso vocabulo expressisse videmur , quando invisos
nobis atheos nuncupamus , quod convitium omnia flagitia & scelera ex-
superat . Neque ego curio tepidos theologos . qui monent ; non ita pro-
miscue maledictum illud spargendum , ne si id in honestum virum & pi-
um , longe nobis probiorem , jaciamus , impudentissimi calumniatores au-
diamus ; ac tales , qui juxta effatum Salvatoris nostri rei sint ignis gehen-
næ . Hanc enim istam pœnam dictare iis , qui proximo suo dicunt fa-
tue . Jam autem maximum genus fatuitatis esse atheismum ; unde &

G

de

de stulto pronunciatur, qvod in corde suo dicat, non est Deus. Multo
minus curo dictum illud nescio cuius Cancellarii Angliae, (nam isti ho-
mines ad sapientiam nostram nihil sunt,) qui maximam atheorum par-
tem in nostro ordine esse innuit, nempe illos, qui sacra sine sensu peragunt;
qvod ego ita interpretor, sine sensu seriaz devotionis, & qui tantum fri-
gida recitatione precum & rituum sacrorum defunguntur, ac ubi priva-
to studio non incalescunt, jejuna concione horam tantum disper-
disse satis habent. Inter qvos qvidem ego meum nomen profiteor. Sed
nec illum nescio quem philosophum audiendum duco, qui circa mores
sacerdotum mei similium ita pronuntiat: *nemo è vulgo ita est stupidus, ut*
non illum, qui credere jubet res alioquin creditu difficiles ita vivere viderit, ac si
ipse non crederet, non impostorem putet. Si doceant ergo, (ut utique docent, cre-
dentium esse minus AVAROS esse quam alii, minus AMBITIOSOS, minus
SUPERBOS, minus sensibus indulgere, minus se immiscere negotiis mundanis,
i.e. civilibus, minus CONVITIARI, minus INVIDERE, magis quam alii
corde simplici esse (i.e. magis apertos,) magis MISERICORDES, magis VE-
RACES, nec tamen ipsi tales sint, non debent conqueri, si fides illis postea non adbi-
beatur. Nam si haec philosophia valeret, ego & non pauci è meo ordi-
ne summo jure magni athei essemus; cum apud Calepinum videamus
hypocritam, impostorem, qui doctrinæ suæ pravis moribus fidem detra-
hit, Deoque & hominibus illudit, & atheum pro synonymis haberi. Sed
ista omnia ego insuper habeo, cui ad gloriam sufficit, ut falso quantum-
vis, dummodo atroci convitio in adversarium jaecto de tartareo ardore,
qui præcordia mea coquavit, publici testes. Qvia autem virum sapientissi-
mum ac summa eruditione præditum alloquabar, liquida mihi demon-
stratio proferenda fuit, ne idem à furiis me agitari crederet. Quo fine
fas mihi fore judicavi verba adversarii eqvuleo subjicere, & laxatis velut
omnibus membris in aliam plane figuram distorquere. Tradiderat iste,
fundamentum, seu fundamentalem propositionem juris naturalis ad u-
sum fori humani attemperati esse, qvod homo fit animal sociabile; & ad
eam propositionem omnia præcepta alios homines spectantia posse re-
duci; ad cujus quoque veritatem agnoscendam omnes homines permo-
veri possint, sive sint Lutherani, sive Reformati, Papistæ, Arminiani, So-
ciniani, Judæi, Muhammedani, denique Ethnici; qui etsi salvifica ca-
rent, aliquam tamen saltem religionem habent, adeoque dictante ratio-
ne omnes reverentiam Numinis præsupponunt. Ex hac doctrina ego
miro artificio hanc sententiam formavi: *pacificam socialitatem uti sine vera*
pietate consideratur, esse fundamentum totius legis. Nam Deus omnes homines
ad imaginem suam, & non tam ad hanc, quam alteram vitam creavit. Unde ut
imaginis Dei & quidem ad eternam salutem conformiter vivatur, verus timor Dei
qui

qui hic excluditur, fundatum & principium omnis humanae sapientiae actionis, & virtutis ponenda est. Id quod multis dictis scripturæ, ipsoque catechismo confirmari potest; quibus adversarium dudum infugam conjectissim, nisi hic non sine irrisu occineret, se de cæpis, me de alliis loqui: ac eodem jure medicos atheismi reos posse peragi, quos nondū perceperim apud Valentinum Albertum, novum paradisi instauratorem, nomina sua profiteri, ut arbori vitæ artis suæ fundamenta superstruant. Tum & nihil stultius esse, quam dictum Ezechielem. XVI, 49. *Hec erat seroris tua Sodomæ prævaricatio, superbia, omnium rerum abundantia, & alta pax, qua ipsa gaudebat, sed in pauperes in humanitas, & vita abominationum plena.* Perinde ac si cives omnia socialitatis officia inter se exercere necessum foret ideo, quia pace externa fruuntur. Multa denique stomachatur in Albertos illos, qui ita turpiter ne ratiocinari docuerunt; quasi ejusmodi ruditas aut malitia mihi non nativa, eoqve incorrigibilis esse potuerit. Quia igitur isthanc calumniam alios persuadere non potui, lepide admodum omnia illa prophetarum dicta mihi adplico, qui ob veritatem passi sunt; ac de cætero adversus omnia illa, quibus fæditas meæ calumniæ exagitantur, clypeo impudentiæ me munio.

Par specimen exhibui, quam in proclvi mihi sit è quavis doctrina ansam arripere alicui athei convitum impingendi. Tradiderat is, quem allatmando illa mihi rupi; penes summos imperantes civiles esse examen doctrinarum, in primis earum, quæ ad finem civitatum aliquo modo spectant, & quæ in conscientiis hominum efficaciam habent obsequio adversus summos imperantes promovendo aut impediendo. Ex quo genere non pauca apud Pontificios reperiuntur; puta, quando Papæ, meo collegæ, talia tribuantur, quæ in summis imperantibus non possunt non fraudi cedere. Atqui ego multa blatero de jure ministrorum Ecclesiæ cum modestia & discretione corripiendi etiam Principum peccata, quatenus hi membra Ecclesiæ sunt. Ad quæ meus adversarius nihil respondere potuit, nisi ut asinum me & stipitem nuncupet, quippe cum de mea thesi impugnanda ipsi in mentem non venerit: eamqve à sua toto cœlo differre, nec eam sibi repugnare jaëter. Ubi quidem fateor, me velut miseram ovem, ast cornutam tamen, unguiumque ac dentium robore lupo non cedentem, haut videre, quid ad istud responderi queat; nisi quod mihi sufficiat undecunqve occasionem naëctum athei & impii maledictum spargendi, etsi eo nomine impuri calumniatoris notam merear apud illos, quibus mentiri inter turpia habetur.

Sed uti ista eruditionis & candoris mei specimina cuivis in oculos incurrere potuerunt: ita intentio concionum mearum tibi paulo familiarius explicanda est, mi fili, quam subtili artifitio me occultasse

gaudebam. Scilicet quid veneni perjura mens parturiret haut tutum erat expromere, quamdiu Suecorum res in Scania potiores essent. Itaque tunc missitavi, ac bonum me civem simulavi; cum tamen si, quæ peccata esse credidisse, iram Numinis merentia, ea pro autoritate officii mei prophetici mature debuisse denuntiare, ut Suecis pœnitentiæ atque emendationis, pœnæque adeo divinæ prævertendo spatiū foret. Sed postquam pauper ovis ego credideram ab eventu unius conflictus maritimi summam totius belli pendere, & nunquam reverti posse exercitium, qui ad auxilia sibi adsciscenda paulisper recedit, jam impune judicavi me publice apricari posse, quod dudum vapidō sub pectore texeram. Et cum alias boni sacerdotis officium sit tali casu cives ad fidem in legitimū principem servandam confirmare, meus me perfidus animus impulit ut, Scanos quantum in me exanimarem, ac desperatione implerem velut implacabili Suecorum peccatis Deo; utque novi se Regis velut liberatoris imperio lubentes se subderent. Simul in absentem adversarium inter aurigas & vetulas invchi præclarum erat. Etsi nescio quem colorem conquerere debeam, quod inter peccata Sueciæ iram provocantia tunc posuerim fiduciam in auxiliis Gallicis, ac Galliam vocarim *Ægyptum, domum malorum, in quam speramus.* Nam si nunc ejusmodi verbum Dei prædicare aggrederer, metuo ne mihi in Sueciam remigrandum sit. Nisi præstet ingenue fateri; nos quicquid vesani affectus suggerunt, garrire, & quod alio tempore nigrum, mox album videri; eoque stolidum esse, nostra dicta aliter considerare, quam sonitus animarum venalium, & affectibus suis obnoxiarum, quibus nunquam ratio constat.

In eo autem credideram insigne me commentum invenisse virum mihi invisum immissa plebecula plane perdendi, quod inter causas belli quo Deus regnum Sueciæ castigare statuerit, etiam horrida illa dogmata, quæ iste tradere haut dubitavit, retulerim. Nam si tam fatui homines inventi fuissent, quibus illud persuaderi potuisset nil aliud super erat, quam ut iste velut Jonas quispiam expiandæ iræ divinæ in mare projiceretur, aut rogo è vetustis libellis methaphysicis extructo imponeretur, lento fumo necandus. Sed effectu quidem sperato corruit id artificium, ac retulerunt amici, se adversarium jactantem audivisse, non habere vel ruditatem, vel malitiam, quo ulterius progrediatur. Inter doctrinas belli conciliatrices primo loco hanc à me ponit: *Scripturam sacram esse questionem facti, quam omnes homines scire non tenentur.* Atqui ipsius doctrinam esse hanc: *naturam hominis primitus à Deo integrum creatam, & post culpa hominis depravatam non ratiocinando colligi posse, sed ejus veritatem, velut quæstionis facti, seu rei quæ in facto consistit, non nisi è divinarum autoritate litera-*

terarum constare, quæ non probabilem, uti unius viri gravis autoritas, sed irrefragabilem veritatem producere apta est. Nusquam ab ipso tradi, quæstionem facti esse illud, quod veritatem duntaxat probabilem habet; ac ad præsentem rem pessime trahi, quæ ab JCtis de ignorantia facti traduntur; quæ ad certam tantum materiam applicari possunt & debent. Neminem quoque eorum ita delirasse, ut in universum pronuntiaret, cuiusvis facti ignorantiam cum negligentia culpabili conjunctam non esse, nec dari facta, quæ omnes scire teneantur. Quæcum supra meum captum sint, merito suo loco relinquo: ac satis perspicio, quam temerarium sit carpere, quæ non capias. Alterum horibile dogma, quod atroici bello à toto populo expiandum est, à me illud statuitur; *Deum plane justum non esse, nec dici posse, nisi tantummodo, quando promissa sua implet, & legem ab homine servari vult.* Ast qui adversario farent, ex ejus scriptis demonstrant, illum ad quærationem duntaxat justitiæ divinæ & humanæ secundum omnes actus negare. Unde mihi probandum esse, omnes actus justitiæ humanæ in Deum cadere, etiam quæ citra subjectiōnem, aut indigentiam intelligi nequeunt. Quod qui afferere institutat, sensu communi carere visum iri. Nec absurdum esse ratiocinium si dicam: si Deus, qui nemine indiget, & qui inconcussa fruitur beatitate, est misericors; quanto magis par est mortales esse misericordes, qui sape aliorum misericordia indigent, ne duritia sua aliquando in ipsos recidat. *Non ignara mali miseri succurrere disco.* Denique eos, qui latinitatem suam haut superstitione ad dictiōnem metaphysicam adstringunt, τὸ eminenter τῷ formaliter non opponere, cum istud vocabuli etiam perfecto æquipolleat. Etiam qui eminentissime doctus est, etiam vere & formaliter doctum esse. Tertium dogma istius est: *Deum non propter essentiam, sed tantum propter beneficia colendum.* Ad quæ paucis reponunt alii; me de meo infarxisse vocabula *plane non* (gat nicht) & *tantum*. Deinde me ad rationes, quibus sententiam suam iste stabilit, respondere debuisse, non solo verbo damnare thesin à multis nostrantium theologorum traditam. Quartum dogma bellum Sveci Danicum generans à me fingitur hoc: *hominem miserum absque imagine divina creatum.* Ad quod fautores adversarii reponunt, hunc ad nauseam usque inculcassem, sibi sermonem esse de fictio homine, non de Adamo, qui revera extitit. Ac posse fingi hominem justa statura ac robore, qui tamen Adamus non sit. Quantum denique dogma, ob quod tota natio bello flagellenda fuit, hoc à me habetur: *omnia peccata, flagitia & vitia esse pura adiaphora seu res indifferentes, quæ in propria natura absque ea lege quæ è socialitate proficit, plane injusta non sint.* Eoque v.g. adulterium, homicidium, furtum in sua natura esse indifferentia. Ad hæc adversa pars non citra indignationem fremit: toto cœlo differre nudum motum

motum physicum ab omni moralitate abstractum, & integrum actionem
moralem, respectum quoque ad legem complexam: & ne pilum quidem
boni viri habere, qui veras & innoxias sententias ita sycophantico mo-
re distorquere non erubescit. - Qui tamen mitiore sunt ingenio, pro de-
liro homine me habent, ac stultitiae meæ ingemiscendum ducunt,
quod dum ad claritatem nominis via tam ignobili grassor, ita turpi-
ter me coram erudito orbe prostituerim, ac de rebus publice garrire non
dubitaram, quas non intelligam. Et quæ à me moveantur adversus il-
la, quæ iste in aliis scriptis ita perspicue deduxit, inanes nugas tricasque
esse. Ab aperto tamen furore excusari non posse, quæ in peccata Sveciæ
vaticinabundus jaçtem non sine sacrarum literarum profanatione, ac
miserrima earundem applicatione. Cæterum postquam hoc modo ani-
mas civium ad exuendum legitimi Regis obsequium præparaveram, al-
tera concione titubantes velut è divino mandato hostis imperium agno-
scere jussi. Quam nunc dum per otium rumino, non possum non agno-
scere; si quidem heic loci in simili casu ejusmodi concessionem habeam, à
Rege meo clementissimo torque me donatum iri, sed ferreo, & quo ex
alta trabe collo suspensus saltatoriam pedibus sim exercitus. Quæ la-
tius deducere merito supersedeo, cum nemo propriam turpitudinem al-
legare teneatur. Qvanquam autem duæ ejus commatis conciones suf-
ficere poterant, ut bis patibuli candidatus declarare mererer, tamen quia
trifurcio feri elogium aliquid splendidius habere videtur, tertiam adjunge-
re placuit, illustri admodum occasione in funere tubicinis & tympano-
tribæ habitam, quibus æque ac mihi classicum canere artificium fuit:
quam initio valde macilentam, post per otium variis sententiis, perjuri
mei animi interpretibus, interpolare placuit. Inter quos illa facile emi-
net, quod dum ab adversario tradita circa extremam & injustam vim Princi-
pis in hostem abeuntis propulsandam damno, eo ipso Svecicam natio-
nem, ejusque statorem Gustavum I, regem, Christierni tyrannidem amo-
lientem incuso, damnoque: immemor, me Augustissimi Regis mei ma-
iores, nationemque Danicam eo ipso damnare, qui longe minore de cau-
la, quam Sveci, istum regem expulerunt. Ubi si peculiarem aliquam &
extraordinariam vocationem divinam comminisci velim, ab adversarii
importunitate mihi metuo, qui haut dubie eandem à me probari est fla-
gitaturus.

Puto me sat illustre documentum candoris mei dedisse, quod ubi
laudes proprias per me ipsum, aliosque à me subornatos haut parce de-
predicavi; ita si qui sint nævuli sat ingenue notare haut erubue-
rim. Unde vitio mihi nemo verterit, si quam censuram in
me ac **Magnificum Dominum privignum meum exercui**, eandem
qvo-

qvoqve circa amicissimorum mihi virorum commenta expromam. Præ-
fertim cum & stultum sit perituræ chartæ parcere, ac is mihi semper mos
fuerit, ut qvod statis laboribus superfuit tempus non lectioni bonorum
scriptorum, sed vellicandis aliorum operibus, inanibusque litigiis im-
penderim. Igitur ad te mea se jam convertit oratio, Vir Reverendissime
Amplissime atqve Excellentissime, Domine Valentine Alberte S. S. Theo-
logiæ Doctor solidissime, ejusdemqve Professor publice extraordinarie
exasciatissime, Logicæ autem & Metaphysices ordinarie subtilissime
Facultatis Theologicæ, nec non Consistori Assessor gravissime, Philo-,
sophicæ subsenior meritissime, stipendiariorum Ephore vigilantissime,
Academiæ Decemvir splendidissime, Nationis Polonicæ Senior illustris-
sime, Collegii Beatæ Virginis Senior, nec non Minoris Principum Sub-
senior bibacissime, bis Rector Magnifice, qvinqvies Decane Spectabilis, &
plura si velles. Ad te inqvam, mea se convertit oratio, quem proximo
post privignum meum loco diligo æstimoque. Et quanqvam id felici-
tatis nunqvam mihi contigerit, ut nasi tui circumferentiam, ac minio
divites colliculos, sobrietatis tuæ testes, cominus inspicere, ac grandiori-
bus aliquot cerevisiæ scyphis amicitiæ fœdus tecum sancire daretur; ta-
men ad arctissimam inter nos conjunctionem sanctissimi instar vinculi
merito habere censendus est communis hostis, qui utrumque nostrum
tam infestus urgere non disinit, nec nobis claritate nominis, cuius siti
tantopere torquemur, citra molestiam frui permittit. Quem animo
concipiam, & cuius nomen præ odii magnitudine exprimere abhorream
ipsem satis intelligis, scriptorem nimirum Eridis Scandicæ, virulentissimi
calami virum. Qui cum præcipue opportunus nobis visus esset, ut
eo prostrato trophæum poneremus, nescio qua ingenii ferocia conatibus
nostris se opponere, & assultus nostros non sine acerbitate repellere, proh
dolor! ausus fuit. Qui & usqve adeo in sui defensionem obduruisse vi-
detur, ut tot latratoribus licet circumstrepentibus parum commoveri vi-
deatur, qvo minus qvi mendaciis & calumniis obruere ipsum gaudemus
propriis vocabulis designare non dubitet, ne minima quidem ratione
supercilii nostri, talarisqve pallii habita. Qui denique, qvod acerbissimum
est, qvando nos qvam maxime excandescimus, in jocos ac scom-
mata risumque qvam maxime effunditur. Sed cum tu adversus istum
tot per annos prope solus pugnam sustinueris, cæteris dudum è prælio
se subducentibus, ac tacite domi prædam suam recensentibus, ne ad
extremum defetisceres, auxilio tibi submisi bellatorem vegetum flaven-
te rostro, à virgis adhuc recentem, qvi incondito ruditu omnium ani-
mos oculosque in se averteret, qvo tibi anhelitum recipiendi spatium foret
Qui cum tantum operæ pretium fecerit, quantum vides, jure suo postulat,

ut tecū amicitiæ tesseram me lenocinante jungat, & inter delicias tuas primum locum sortiatur. Hunc igitur tibi collegam & socium in oppugnando communi hoste do, dico, addico, ac insolubili sacramento despondeo; qvi improbitate calumniandi utriqve nostrum palmam ambiguam reddet, obscenitate autem & impudentia mentiendi ipsum Nic. Beckmannum superabit. Hunc in partem gloriae, qvam ex hoc bello reportasti non magis admittere gravaberis, qvam ego non modicum famæ mihi qvæsitæ partem eidem transcribere invidi. Nec movere te dispar ætas debet, qvo minus fraterna ipsum familiaritate amplectaris, cum si in quo-vis alio, in hoc certe malitia ætatem suppleverit. Qvam & omni studio amore tuum meritum confido, nisi forte tibi hoc unum dispergitum est, qvod non tam compendio tuo orthodoxo, qvam Marennis & Carennis osculandis gaudet; qvæ & sæpe matri ipsius questæ sunt, se vix tauri ruentis in Venerem tolerare pondus posse. Qvod si autem ideo fortasse istum fratrem fastidias, qvod scriptum istius crassam admodum barbariem oleat, cum tua nil nisi paradisiacam ambram ex tuo iudicio spirent; age, & ad postremum scriptum tuum, (nam cætera sat acrem puto strigilim sensere,) qvandam florum sparsionem addam, ut scripta utriusque non disparis valde pretii esse constet, nisi qvod meus velut juvenitus scriptor paulo ferocius furat, tu veteranus nugator paulo mitius ineptias.

Atqve id qvidem abs te ordine & decenter factum, qvod scripto tuo sacrosanctum nomen JESU præfigis, nimirum qvia isto mores à Salvatore nostro cum primis commendatos ad vivum exprimis implacabile odium, misellam ambitionem, tartaream invidiam, diabolicam calumniandi libidinem. Nec est, qvod sanctulorum qvorundam supercilium cures, qvi jaçtant, dum frons Jesum præfert, pectus Satanam exprimit, Deo illudi ejusque nomen in vanum adhiberi. Nam istud præceptum tantum Laicos spectat. Mihi autem fas fuit Numen in vota vocare etiam tunc qvando conciones patibulo dignas eructabam. Qvod & aliis mei similibus in usu est, qvibus Spiritus Sanctus invocatur etiam qvando viros innocentes calumniis publice proscindere instituunt. In eo autem privigno meo plane geminus es, qvod in tua charta nil solidi, & qvod ad rem facit adpareat, sed eam totam cavillationibus, & scommatibus impleveris, qvæ tamen ex aliis fere consarcinas, aut cuculi ad instar ex ipsius adversarii scripto imitaris. *Dixerat, Hic quis adeſt? Et adeſt responderat Echo.* nihil autem à te falsius dici potuit, qvam qvod tu istum fidei nostræ consanguineum vocas. Nam & ego credo, me inter magna Ecclesiæ esse columnæ; nec tu minor ejusdem Atlas tibi viseris. Et tamen iste nos magnos hypocritas & sycophantas credit, & me

me insuper, qvi inter doctos me habendum ducō, asinum credit. An hoc est fidei consanguineum esse? video quoque te invidiam velle adversario facere, sed ita anili modo ut plane animū despōndisse videaris velut causa plane desperata. Quid enim putidius est, qvam ad innocentiam provocare, ac iniqve tecum & cum illo, cuius defensionem suscepisti agi velut *innocentibus*? Sane si mihi contigisset ob perduellionis crimen ad supplicium duci, forte pro more id genus hominum de innocentia mea protestari non indecorum fuerat. Ast qvid tibi accidit, ut tanto cum ejulatu potissimum super innocentia tua queritari necessum habeas, cum non nisi ineptiæ, & calumniæ è meis flagitiis levissima, tibi objecta sint. Et cur non meministi Valentiniū te esse, qvi juxta Jacobum de Voragine Hist. Lombard. c. 42. dicitur, *quasi valens tiro i. e. miles, qui nunquam cedit, fortiter ferit, se valenter defendit, potenter vincit.* Qvod si utiqve durum tibi videbatur adversarii aculeos excipere, qvare laces fere eundem non desistis, qvem nosse non debebas nunquam omissurum latratores digno telorum genere abs se repellere. Et cum nos veterani sycophantæ negotium ipsi faceſſere non desinamus; is proiectiore licet ætate haut indecorum ducit famam suam aduersus nostros assultus vendicare. Sed nimirū idem te, qvi me infestat morbus, famæ sacra famæ, & qvod gloriā tanti Heros defendendi necessitas tibi incubuit. Qvitamen credo tota vita nihil acerbius evenit, qvam Albertus encomista, qvi adeo insulſe parasitandi artem tractas, ut ne reliquias quidem hesterni juris lambere dignus sis. Sicut credo nec illi gravissimi viri, qvos tu enormi titulo oneras, in adulatioñis inficetæ præmium tibi salaryum augebunt. Nisi forte modicam olim dignitatem Consulū Romanorum fuisse putas, aut vulgare meritum tantam urbem imminenti exitio eripuisse. Camillum aut Ciceronem Roma patrem patriæ libera dixit; sed Cæſaram dignatione introducta id elogii his solis competiit. Sicut nec Calepinus meus explicare mihi novit, qvod genus hominum sint viri, *de toga* bene meriti. Nam si id in solos sartores non quadrat, non video qvis elogii istius partem jure sibi vindicare queat, præter famulum meum qvī pulverulentam togam scopis purgat. Sic igitur tu carperis non ob amplitudinem tituli, sed ob absurditatem, ob ut ita loqvar illatinitatem. Nam si de republica bene meritum dixisses, nemo futurus erat qvi reprehenderet; Sed qvid sit de toga bene mereri, id ipſe fateor me non capere, qvi tamen qvondam Witebergæ qvatuor tironibus epistolas Ciceronis prælegere ausus sum. Unde & invidia tua nimium quantum pellucet, qvod cum in alios circa titulos ita prodigus sis, qvæ ab amicis adversario tribuuntur elogia cavillaris; qvæ hanc duntaxat ob causam ab isto non suppressi conſtat, ut nobis oculi ægrefcant. Qyanquam & dubitem, an idem conditionem suam permutare velit cum eo cujus admiratio ita te corripuit, ut neminem mortalium cum isto comparandum putas. Nisi forte credis, senatorem aliquem urbis vestræ Lipsiensis

H

ſibi

sibi minoris videri, quam consulem Cizensem; utut hic oppidi sui primus sit, ac de dignitate sua mira sibi persuadeat, quamdiu extra portam pedem non effert. Qvod autem circa historiam adversarii carpendum dentem exercere instituis, id qvidem facile mihi adprobas, qui omnia istius viri scripta ad Garamantas deportari optaverim, ipsa dissimilitudine pedanteriam nobis exprobrantia. Valde tamen metuo, ne illi, qui politicos se se vocari gaudent, tibi occinantur tum illud, ne sutor ultra crepidam. Nam uti isti vulgo jactant nullum genus hominum minus esse idoneum ad negotia reipublicæ tractanda, quam qui vitiis nostro ordini familiaribus imbuti sunt; ita & iidem arbitrantur, ubi vis potius nascum nobis nostrum esse exercendum, quam circa censendas historias, recte an secus eminentia reipublicæ negotia exprimant. Mihi sane instar omnium historicorum est promptuarium exemplorum Buntingii, unde qvovis casu historiolas depromere licet, quas & circumstantiis proibitu nostro exornare nemo prohibet. Operam quoque lusisse videris, qvod terrorem ipsi incutere conatus es, ostentata offensa nobilis illius profapiæ, è cuius majoribus aliquem pecuniis donatum adversarius memorat. Sane quid in isto facto vitii sit, ego non perspicio; cum ipse, si quis pecuniam afferat, vel Judæ Jscariotæ apologiam sim conscripturus. Nec credo istum è ruminculis talia haufisse, sed è tabulario regni Sueciæ, cui eo tempore non defuisse vero simile est, qui quid Dresdæ ageretur referrent. Fateor tamen id factum mihi plane incredibile videri non ideo solum qvod nullus unquam nostri ordinis auditus fuit pecunias æstimasse; sed & quia satis novi mea consilia circa facta conscientiam tangentia vix tanti æstimatum iri, quam collegia tua Logica quæ si quis semuntiali nummo taxat, ultra dimidium læditur. Id autem mirum est, à te contendi, inclutissimi Seckendorfflibros etiam Teutonica lingua conscriptos utique ab exteris legi, & intelligi. Nam credas mihi velim qui Belgico, Anglico, & Gallico solo vestigia pedum meorum impressi, apud istas nationes, ne de aliis dicam, paucissimos dari linguæ Teutonicaæ peritos ac libros hoc idiomate scriptos raro ibi conspicui. Id autem ridiculum est abs te dici, ex invidianon obscura istius libros ab adversario improbatos, nimirum quia idem hujus luminibus tantopere obstruxit; cum satis constet, adversarium nunquam Seckendorffii mentionem in seqviorem partem fuisse factum, ni hic judicio suo parum tempestiviori xiositatem tuam irritasset, ut unum & alterum libellum adhuc abortire velles. Nam ita pervicaci ac scavo ingenio est iste vir, ut fas sibi esse credat qvorumvis insultationes & vellicatines à se repellere; quia prava persuasione si exuere ipsum possemus, non dubito, qvin brevi causam nostram adversus ipsum simus pervicturi. Video quoque abs te fat inepte adduci locum *Dan. Heinsii de Satyris*. Nam adversarii scripta satyræ non sunt, sed apologiæ, quibus se suaqve scripta contra aliorum morsificationes defendit, in quibus si subinde qvid asperioris dictionis adhibe-

betur, sibi imputent, qvi virum injuriæ impatientem laceraverunt. Neque vero legem ullam vidi quæ pœnam dicit illi, qvi me ac mei similes Jndicium confectores aut patronos calumniatorum aut asinorum titulo mactet. Id tamen prudentissimum à te consilium Seckendorfio suggestum agnosco, ut nihil amplius negotii cum scriptore tam mordacis calami habeat; sed potius è sublimi fastigio, quo tua ipsum elogia supra humanam sortem collocaverunt, istas minutias d' spiciat; cum magno ipsi mercandum fuerit, censoriam suam autoritatem haut porrexisse ad hominem vivum, & respondere paratum. Qvia tamen isti à tuo consilio discedere placuit, metuo ut istam scribillandi libidinem impune sit latus. Saltem quid mihi circa eam videatur non dissimulabo, postquam tuum scriptum stricturis meis illustrare desero.

Cæterum tu quidem valde generose, quod omissis acculeatis in te jactis dicteriiis, quæ ad rem faciunt expedire instituis; ac imprimis circa lepidum titulum Erotis tui Lipsici asserendum satagis. Ubi quidem graviter admodum & plusquam verissime à te pronuntiatur, eo scripto Eridem Scandicam refutatam à te, prout amantem Dei atque proximi decet. Hic vero nova nascitur materia condendo egregio commentario, distinctius è tuo scripto (deducantur regulæ circa modum exerendi amorem erga Deum & proximum; cui si succentur ientur privigni mei chartæ, sine dubio prodibit opus, quod theologiae morali colophonem imponet. Sane *amor* iste sat rixosus est; & chariti isti tam negligenter circa caput capilli volitant, ut eam à Furia haut discreveris. Ut valde metuam, ne cordati te non modo hypocritam, sed fatuum pronuntiatur sint, quod talem te isto libello praestitisse dicis, qualem titulus designarit. Prout & mox Christiani candoris, & exquisitissimæ eruditio- nis specimen præbes, quod negas ab isto tradi, scortationem juri naturali repugnare, cum te inspectus l.VI.c.1.E.4, manifestæ calumniæ convincat. Sane in latinitatem peccari non puto, si vagalibido, & scortatio pro æqvipollentibus habeantur; ac meliore jure decalogum insimulaveris, qui machinationem duntaxat exprimit. Et valde cæcutiisse me oportebat, si istud oculos meos effugisset, quod gemmæ instar in meo Indice fulgere poterat. Non immerito autem tibi à cavillo adversarii metuis, dum Ignatii dictum, *amor meus crucifixus est*, tibi applicas. Nam iste ita hoc explicandum putat: Eros meus Lipsicus acerbissimum crucifragium perpessus est. Sed in eo admiranda ingenii subtilitas exsplendescit, quod adversario exemplum Grotii imitandum fuisse asseris, cui cum incongruus titulus maris clausi, ad imitationes Maris liberi à Seleno adhibitus, displiceret, hic nihilominus ab isto *Honus Britanniae* dicebatur. Intelligo quid velis. Nimirum *Honus Lipsiæ* dici cupiebas. Sis ergo me autore *Honus Lipsiæ*; sed cave ne quis detracta adspirationis nota è Latino Græcum vocabulum faciat. Quod porro in collegiis tuis nullam lucri rationem habueris, nec quidquam emolumenti præter convitia in-

de retuleris, & se in iniq^{um}, & tibi juxta tuisq^{ue} auditoribus partum glorio-
sum est. Nam bobus triturantibus os non esse obturandum nosti; ac turpis-
fimo fese ingrati animi crimine obstringeret auditor; si misero magistro vel
vicies repetita crambe fese enecanti solatii nihil reponeret. Ast si forte meo
exemplo solam nominis claritatem captasti, fortiusq^{ue} benignitatem extollere
debes, qvod solis convitiis depecisci potuisti. Nam mihi illa ipsa inclarescen-
di libido longe atrocious malum pepererat, ni promte me in pedes dare calluis-
sem. Qva de causa porro adversarius libellum tuum *de interesse religionum.*
tantopere despiciat, mihi qvidem non constat. Sed qvid mihi videatur, ex-
ponere grave non erit. Animadvertisse mihi in te video singularem ambi-
tionem cum cacozelia conjunctam, ut st̄:tim si qvid plausibile ab altero pro-
latum sit, id interpolatum pro tuo venditare gaudreas. Cum ergo audisses
religionem Pontificiam foli *interesse mundano superstrui*, cæteras autem Chri-
stianorum seetas opinioni veritatis, qvam qvælibet sibi vindicatum it, dissi-
dere; tu ut peculiare quid sapere videreris, omnia dissensionum fundamenta
ad *interesse* revocare instituisti, mea sententia valde id qvidem *άκυρως*, nisi
ita demum mentem tuam explicare velis: In qvalibet religione deprehendi
principium aliquod, aut primariam propositionem, ex qva reliqua fere scita
promanant; qvæ si vera est, prima veritas, sin falsa πρώτον Φεῦδον, primum
falsum dici potest. Assumto autem semel in locum principii ejusmodi falso,
ingenii humani ambitio cedere nescia, ac semel placita defendere pervicax,
(cujus documentum uterque nostrum præbet non obscurum,) subigit docto-
res, ut pro adstruendo ejusmodi falso non minus acriter, quam pro insigni
qvopiam *interesse* pugnant; ne scilicet unquam errasse videantur, utq^{ue} a-
deo autoritas sibi apud sectatores suos illibata persistat. Id autem miror,
qvare qvod adversarius obtulerat, utiliter non acceptaveris, dum per pedan-
teriæ aulas à se academias intelligi negat. In qvo idem tibi contigisse video
qvod Joanni Bodino, qui in nescio qvem scriptorem acerrime invectus di-
citur, quod tradidisset, Andegavi in patria ipfius asinos non dari; qvem ille
erroris convicturus magna cum asleveratione contendit, grandes utiq^{ue} ibi
atq^{ue} excellentissimos asinos dari. Cum igitur adversarius ordinem vestrum
in universum à labe pedantismi absolvere velit, tu autem istud elogii utiq^{ue}
eidem vindicatum eas non aliam video rationem ejus litis componendæ, qvā
ut qvisquis tale habeatur, qvalem se reipsa exhibuerit.

Postqvam hactenus circa cavillationes fategisti, jam tandem ad rem ac
ut causam tuam utiq^{ue} obtines ab imprudentia & coccysmis p^{re}asidiū mutua-
ris, ac manifestæ licet calumniæ convictus ὑπογεαμον Spir. S. facta gannire
non definis. Video tamen dum alteri errorem obtrudere laboras, in crassissi-
mum te solacismum Logicum præcipitare, qvi qvinquelustrali ejus discipli-
næ cantillatori condonari non potest, & quo si privignus se meus adstrinxis-
set, virgarum puerilium aqua lustrali circumferendus esset. Dicis adversari-
um

um excusat, se hominem spectasse, si miser fuisset. Atqui pueris, qui vel biduo mysteriis Logicis imbuc cuperunt, constat, particulam conditionalem si non adponi consequenti, sed antecedenti; ac neminem unquam ita delirasse, ut diceret, si asinus volat, si habet penas. Atqui adversario *tō miserum esse* semper fuit consequens, posito isto antecedente, si omni auxilio divino & humano sit destitutus. Non inquam supponitur miseria hominis, sed ex antecedente infertur. Ac ut eo magis convincaris quare ex te;num theologo salva conscientia liceat formare hanc propositionē; hypoth. Si Christus genus humanum non redemissem, omnibus hominibus in peccatis suis aeternum fuisset pereundum? Ac num is, qui ejusmodi propositionem formavit, argui possit aliquid finxisse contra ὑπογεα μονὸν Spiritus S. qui utique dicit, Christum genus humanum revera redemisse? Dein interrogo, utra pars hujus propositionis contineat hypothesis, seu utri addatur particula conditionalis *si*. Quid legere norit, facile ad hanc questionem respondebit. Ast ubi quis particulam *si* consequenti adponat, si omnes homines in peccatis suis aeternum pereant, ac inde propositionis hypotheticæ autorem hæreos arguere instituat, velut contra mentem Sp. S. singat, nullum hominem salvari, annon mente istum motum pronunciabis? Video aquam tibi hærere, & omnes tabellarum Logicarum fabros concusso capite, ac nudato dentium ebore ringi. Igitur nihil remedii supereft, quam ut strenue frontem perfrices, & neges atque per neges, hanc fuisse adversarii sententiam, quam nunc dicit, & quam nunc hypotheticam esse excusat, ab initio categoricam & seriam fuisse propositionem. Quod fine necessarium fuerit ex omnibus exemplaribus impressis vocabulum *si* erasisse. Evidem quantumvis in honestum, non tamen rarum est isthac artificium, autoribus alias sententiam affingere: ac me in eo non mediocriter esse versatum profiteor, quæ cum primis & multitudini inanum litum, & aeternitati inservit. Sed talia miscere, qualia tu forte flore cerevisiæ Torgensis saucius in chartam conjicis, non nisi ejus est, quicum ratione pudorem plane decxit. Sane totum adversarii ratiocinium huc redit: *si homo omni auxilio divino & humano destituatur, erit miserrimus.* Ex quo ulterius inferit, cum ad conservationem & commoditatem vitæ humanæ ab aliorum auxilio hominum accedere plurimum possit, igitur ipsam naturalem rationem homini dictare, ut sit sociabilis. Ut autem accurate intelligi posset conditio hominis, ab omni auxilio divino & humano destituti, animo concipiendus erat homo non talis, qualis Adamus fuit, quem Deus peculiari cura prosecutus est, & in amissimo horto collocavit; id enim fuisset contra hypothesis, quia divinum auxilium excluditur. Deinde & idem concipiendus est in hoc orbe existere, prout nulla humana cultura eidem adhuc accessit, & ab omni humano auxilio destitutus, seu qui nunquam mediate aut immediate aliquo auxilio ab alio homine usus est. Nam etiam si unicus homo concipiatur nudus in solitariam & incultam insulam naufragio ejectus; ex recordatione tamen invento-

um humanorum facilius aliquaque reperiet vitæ servandæ , qvam si idem nunc
primum in mundum ingressus conciperetur , nulla humanorum
institutorum notitia imbutus. Atqve istum statum hominis ab omni auxi-
lio divino & humano destituti adverfarius naturalem vocavit ; et si cam vox
natura, & naturalis varias significationes admittat, idem non repugnat, qvo
minus status naturalis vocabulum alio sensu adhibeatur. Ad hæc si tua con-
fero liquido jurare posse video, nil sensus communis tibi superesse. Dicis,
adversarium cum hominem tanquam miserum consideraret ac describeret, in eo fuisse
totum, ut statum naturalem formaret atque delinearet. Atqui contra id adversa-
rius egit, ut si statum hominis consideraret, prout ab omni auxilio divino &
humano abstrahit, eum ostenderet fore miserrimum. Eo ipso tamen in sta-
tu non substitit, sed ex ejus suppositione ad necessitatem & commoditatem
alterius status adstruendum progressus est. Id autem falsum est, qvod sub-
jungis , adversarium noluisse statum felicissimum protoplasti *agnoscere pro naturali* : sed id duntaxat verum est , eundem noluisse
vocabulum status naturalis in eo sensu accipere, ut statim perfectissimum no-
tet ; qvia hæc consideratio pertinet ad theologiam Christianam ; ipsi autem
propositum fuit tradere jus naturale ad captum etiam illorum , qui S. Scriptu-
ras ignorant. Impudens quoque dictu est adversarium tanquam thesin as-
sumisse hominem suum primævum miserum. *Qui si quis* aliquid, qvod nun-
qvam extitit, theseos alicujus illustrandæ causa , is illud assumit non ut thesin
sedut hypothesin , qvæ vera an falsa sit nihil interest, modo ex ea posita id con-
seqvatur , qvod sibi probandum sumit. Actibi ipse contradicis , dum modo
scribis, eum velut *thesin* assumisse hominem suum, primævum ; ac mox tamen
ais, eundem hominis miseri *fictionem* supposuisse. Denique ad societatem de-
monstrandam eam fictionem adhibuit non unice , sed eo argumentandi gene-
re, qvod deductionem ad absurdum vocamus. Ex talibus porro præmissis
tam ineptis ad furiosi modum colligis , adversarium primævum hominem
considerasse non hypotheticè *si* miser fuisset, sed categorice , *quod aut*
quasi miser fuisset. Nam supra jam monitum, adversarii hypothesin seu sup-
positionem non fuisse hanc , *si homo miser est* ; sed illam , *si homo fingatur omni*
auxilio divino & humano destitutus. Ex hac si capere non potes id conse-
qui ejusmodi fore miserum, stupidiores privigno meo Severino. Quando
autem conaris ostendere discrimen inter tritam illam propositionem , *si asinus*
volat habet pennas ; & adversarii propositionem hypotheticam ; ita asinino
more ratiocinaris, ut humanæ mentis nil superesse tibi adpareat. Et tamen
inter fœdissimam tuam stultitiam mire tibi lepidus videris , & velut in prato
Querfurtano inter agnatos tuos subsultas, ac saxeos dentes nudas. Sane in
suppositione illa , *si asinus volat* , animali tuo aliquid per fictionem additur,
qvod natura negavit. Unde non necessarium est fingere cutem griseam bel-
luæ detractam. Contra adversarius non fingit *primævum hominem in se felicis-*
simum

sum miserum esse , uti tu nulla fronte fingis : sed si concipiamus aut fingamus
fibi soli relictum , miserum fore pronuntiat . Nec ab eodem abstrahit omnem il-
lam , quam revera habuit , perfectionem . Sic enim ipse dicit . ait . Atq[ue] vimi Alber-
te , ostendendus est locus è scriptis adversarii , ubi is dicat : se abstrahere omnem
illam , quam revera habuit perfectionem . Ego fane , q[ui] calumniæ struendæ cau-
sa eadem semel atq[ue] iterum evolvi , nusquam tale effatum animadverti . Nam
per abstractionem ab illo suo fictio homine omne auxilium divinum & hu-
manum removet ; sed q[uod]ammodo essentiam hominis absolvunt ipsi relinquit , cor-
pus nempe , & q[uod]ammodo in justam staturam adultum , & rationem , sed omni
cultu destitutam , fed & vix à quadrimulo pueru inceptius dictum expectari po-
terat ; quo facto , i. e. si ab homine omne auxilium extrinsecus accedens abstra-
hatur , non potest non videri miser , & q[uod]ammodo categorice . Sane si quis ita loquatur ,
si fingamus asinus volare , idem habebit pennas categoricè . annon hunc pla-
ne ἀλογον dicemus . Sicuti & dum fictionem categoricam appellas , misere im-
pingis in prima elementa ejus artis , q[uia] publice privatimq[ue] per quinque lu-
stra parietes flagellasti . Nisi forte in propositione hypothetica , non antece-
dens solum , sed & consequens presupponi oportet : si asinus volat , si habet
pennas . Per eam autem abstractionem , q[uod]ammodo adversarius ponit , ejusmo-
di homo non in solo spoliatoris phantasia , uti tu argutissime loqueris , sed revera
miser erit . Sane si te omni supellecstile , cibariisq[ue] exutum , egenum nu-
dumq[ue] in desertam aliquam insulanu[m] , ubi nulla Eulenburgensis cerevisia co-
pia , solum projiciamus , et si caput adhuc inaniis metaphysicis turgeat , mox
cofessionem miseriam abs te extorquemus . Sicuti igitur per fictionem vo-
latus asinus manet asinus , uti tu fateris ; ita non minus per fictionem amoti
auxilii divini & humani homo manet homo i. e. animal rationale . Sed & fru-
stra est , quando dicis : tibi q[uod]ammodo licere aliquid per impossibile fingere , q[uia]
contrarium habes pro certo . Nam idem & adversarius facit , q[uod]ammodo statu[m]
protoplasti , i. e. hominis revera existentis , & à Deo creati habet pro
certissimo . Et quando doctrinam suam de naturali jure ad captum etiam gen-
tilium formare vult , non est ipsi propositum eosdem de veris originibus ge-
neris humani edocere ; Sed ita duntaxat cum iisdem ratiocinatur : q[uod]ammodo
vos persuasionem foveatis de originibus hominum , inspecta tamen re-
rum natura , & hominis eruditione cogimini fateri , miserum fore hominem
omni auxilio humano destitutum , eoq[ue] colendam vobis & aestimandam ef-
fe socialitatem . Mira de hinc somnia misces , quando de methodo subne-
ctis , per q[uod]ammodo adversarius in hunc errorem prolapsius sit , ut nempe hominem
ab omnibus destitutum miserum crederet . Inane quoq[ue] est q[uod]ammodo dicis , o-
mnes , q[uia] de idea aut essentia juris naturalis egerunt , ad prima tempora recur-
risse . Nam ad prima tempora recurrentum est illis , q[uia] de statu hominum
naturali & adventitio tradunt ; de quo paucis cogitare in mentem venit . Et
ijs naturale etiam sine consideratione primi status investigari potest . Quid
&

& abstractio illa non minus apud Christianos quam gentiles socialitatis necessitatem explicaturo utiliter adhiberi potest. Quæ tamen socialitas non quodcumque, sed firmissime demonstrari potest per ratones positivas, etiam non adhibita illa deductione ad incommodum; quicquid & tu, & ego cum paucis nostris sociis contra ganniamus. Denique & in eo admodum crasse laboris quod non intelligas, ad alium finem ab adversario abstractionem suam, ad alium ab Hobbesio suam adhiberi. Nam adversarius fictionem suam opponit statui hominum per auxilium & industriam aliorum hominum excuto. Hobbesius bellum omnium in omnes opponit societati & statui civili; cuius necessitas è fictione istius bellum omnium in omnes egregii illustrari poterat, ni Hobbesius id pro vera thesi, non autem pro fictione aut hypothesi habuisset. Cum ergo adversarius in hoc negotio semper vocabulum conditionis suppositionis, & fictionis adhibuerit, & vero tu fatearis eo modo ipsum habere te consentientem; jam ergo & fatere, haec tenus cum propria umbra te luctatum. Objicies forte, me in hoc palmario tuo loco ita tecum egisse, ac si ab adversarii partibus stem, cum tamen Solduriorum lege addictum me tibi profitear. Sed scias velim ita solitum esse tenerime & familiariter inter se amantibus, ut quandoque parvulorum nequam vocabulo sibi blandiantur; prout & Borealis populis porcelli, & quandoque scrofae vocabulum inter amantiū leprores adhibetur. Quanquam & revera turpe videbatur, te veteranum philosophum non paulo crassius ratiocinari, quam privignum meum, qui tecum comparatus laflio est sed & hoc ipso discrimen inter verum amicum & adulatorem exprimere volui. Nam ille nævos amici detigit atque corripit, ut ea emendentur: adulator promiscue omnia, pulchra, fœda probat. Ac sane adparet, adulatores tibi non parum nocuisse, dum insipidis laudibus ita te dementarunt, ut revera inter eruditos aliquid te esse crederes. Cum si mature tibi ejusmodi correptio fraterna contigisset, id obtinuisses, ut saltem tacendo sapientiae opinionem tueri posses.

Postquam arce causæ tuæ ita turpiter dejectus es, reliqua leviore brachio castigari possunt; velut quod ita ratiocinaris; quia è veteribus Plinius & Solinus aliquam Geographiæ notitiam pro captu eorum temporum haberunt, nostro autem seculo Ricciolus in ea scientia non parum præstitit, igitur in universum Itali Geographiæ sunt periti. Adparet te parum nosse, quæ rei literariæ in Italia sit conditio. In metaphysica porro summus utique scientiæ gradus, quo eruditus & sano sincipite vir eniti potest, is est, ut intelligat, steriles avenas esse, & nil nisi farraginem terminorum, quicquid ejus scientiæ nomine vulgo venit: & qui solidi quid subesse huic putat, quid subesse huic putat, quid solidi quid subesse huic putat, quid solide philosophari sit haut intelligere. Nec magis ad veræ eruditionis laudem facere metaphysicam, quam ad boni concionatoris gratiam freqventes screatus & spuationes. Circa philosophiam tuam Christianam parum proficere videris.

Nam

Nam dum dicas, anteqvam à philosophia hypotheses è S. Scriptura tuto assumi possint, prius à Theologis verba recte exponenda, qvo facto philosophos statim intelligere, qvæ locutiones populares sint, nullamqve inde hypothesin petere; nihil aliud qvam nugaris, ac per inutiles ambages circumvolveris, cum recta via posses procedere. Sane qvod Deus oculos aut pedes proprie dictos non habeat, id non demum è theologiadiscendum est, sed & è sana ratione constat; qvæ & ipsa indicat qvæ dictiones populares qvæ accuratae sint. Cum igitur hypotheses, qvas tu è Sacra Scriptura in philosophiam transferre cupis, prius ad rationem sint referendæ, qvem sensum habent: fateare necessum est illas revera philosophicas esse, nec ideo revelatas aut fori theologici esse, qvia in S. Scripturis obiter quoque & præter primarium eorum scopum occurrunt. Sed & nihil magis à theologia Christiana alienum est, qvam qvod toties licet monitus coccyllare non definis; officium Christianæ discipline juris naturalis esse, hominem corruptum in moralibus conformare homini integro. Ego contra pronuntio; Christianos non posse nec debere conformari ad hominem integrum. Non posse, qvia corruptio humanæ naturæ, qvæ ad mortem usque etiam sanctissimis mortalium adhæret, eam perfectionem attingi non patitur. Non debere, qvia justitia paradisiaca erat legalis, sed justitiae Christianæ fundamentum est Christus statui Paradisiaco incognitus, cuius velut auspicis bonæ nostræ actiones fieri, & ex eo adprobationem atque estimationem trahere debent. Contra tu dum hominem corruptum vis conformare homini integro, qvi per opera legis salvandus fuerat, videris eodem modo salvare velle hominem corruptum, postqvam hunc per tuum Compendium, si diis placet, ad paradisiacam naturam reduxisti. Ac si tanta efficacia inest disciplinæ juris naturalis ad methodum tuam formatæ, qvid immensis theologorum scriptis opus est? Sic & ineptum est isthoc ratiocinium: qvia justitia originarie in protoplastis fuit, cuius reliquia ad nos derivatae sunt igitur principium justitiae ab iisdem petendum est. Nam qvæstio est, utrum ea justitia secundum omnes suos actus, in exercitio positos, in historia paradisiaca extet, & ad præsentem conditionem generis humani commode applicari possit. Id tamen recte, qvod adversario inscitiam philosophiæ Christianæ objicis. Nam ipsi perswasum est, ejusmodi philosophiam plane non dari, ac somnium Alberinum esse. Non capere quoque possum commodum id, qvod è philosophia Christiana in orthodoxam theologiam redundat. Nam illa philosophia qvod Christianum habet à theologia habet. Si autem philosophia aliquantum theologiæ subservit, id non facit ut Christiana, sed ut philosophia. Cartesius porro, qvando obiter monita qvædam moralia adspexit, haut ideo philosophiam moralem ita attigit, ut de eadem justis principiis superstruenda, cogitationem suscepit. Etsi brevitempore ejus philosophiæ ne vestigium qvidem superfuturum reor, postqvam tu quoque calumnum in misellam stringere cœpisti. Debueras tamen scriptis tuis de Cartesianismo & Cocceianismo addere librum de Coccysmo, qvem tu mira felicitate exprimis; quo sane nihil utilius esse nobis vitilitigatoribꝫ potest; qvi etsi centies calumnias

& ineptiarum convicti simus, obdurata tamen fronte ad cuculorum morem eandem cantilenam vel millies iteramus. Et sane quæ ratio suppeteret controversias non difficilimæ aut obscurissimæ in infinitum alendi, nisi adhibito in subsidium coccysmo? Ex quo genere est, quod ab adversario *primævum hominem miserum fingi cuculas*; cuius calumniæ etiam Wildschyssum meum jam pudet, qui malitiam tuam miratur, quod *primævi hominis* vocabulum heic inferias, ut imperitis persuadeas, velut de protoplasto seu homine vere primævo sermo sit. Quo diabolico calumniæ genere quid intendas, non obscurum est. Infelicem vero nostrum adversarium, quod te præceptore usus non est, à quo discere potuisset, quia prudentia in lectione librorum, in quibus bona malis mixta sunt, procedendum sit. Sed nunc miser æra lupinis discernere haut calluit, ac dum per scævitatem in genii vetera Magistrorum nostrorum dictata pressæ seqvi adsperratur, tantos adversus sè clamores excitavit. Ast dum minutias consector, propemodum oculos effugitat effatum, quo subtilius in nullo theologicæ scripto legisse memini. Tradiderat adversarius, imperii paterni in filium causam esse non solam generationem, idque rationibus adstruxerat, quod tu quidem convellere nunquam ausus es. Addiderat, si generatio & paternitas necessario imperium in genitum involveret, id etiam in divina essentia processurum. Heic vero tu ansam arripis Orbi communicandi sapientiæ, quæ ab origine mundi hucusq; occulta latuit. Accurrite ergo huc quotquot estis Theologiæ Doctores, Licentiati, & Baccalaurei, ac ter inclinati ad terram usque capitibus venerabundi haurite vocem oraculi tam rarum misterium jam pandentis. *Alia divinæ, alia humanae generationis est ratio.* Mirum tamen è tanto sapientiæ fastigio ita repente te in lutum præcipitare. Dum enim utique contendis paternitatem in se imperium in genitum involvere, adducis dictum *Psalmi. XL. 9.* ubi Filius Dei paratum se profitetur exseqvendæ voluntati divinæ. Ubi quæro, num ista executio eidem imposita fit pro imperio, an vero idem ultro è quadam quasi conventione eam suscepere. Si prius agnoscis, habemus novum Arrianum; sin posterius, inane est tunici ratiocinium. Dicis postea, etiamsi Cartesius & Hobbesius expressis verbis non tradant, licitum esse fingere in philosophia, cuius contrarium in sacris literis descriptum extet; ejusmodi fictionis tamen exempla utique in eorum scriptis inveniri. Videamus igitur exempla. Ais, annon *fabula Hobbesis de primo homine misero, imo malo & truculento repugnat Scriptura?* Mirum vero, qui Hobbesium tibi lectum intellectumque gloria sis, non observatum à te locum è c. 8. §. 1. de Cive: ut consideremus homines, tanquam si essent jamjam subito è terra fungorum more exorti & adulti sine omni unius ad alterum obligatione. An qui ita loquitur, de veris originibus generis humani tradit. Aut fингит, id est, per errorem afferit, alio modo protoplastos productos, quam prout in sacris literis traditur? Dum autem Carthesium *Spiritu S. contradicere* afferis, quando scripsit, et si Deus nullam mundo aliam formam, quam Chaos, ab initio addidisset, dummodo post naturæ leges ipsi concursum ad agendum ut solet commodaret, sine ulla in creationis miraculum injuria credi posse, eo solo res omnes pure naturales cum tempore. quales nupc esse videntur, effici potuisse; oblitus es è S. Scripturis adducere the-

fin

fin, qvæ huic effato Cartesiano juxta leges contradictionis repugnet, aut saltem istam contradictionem per bonam & evidentem consequentiam è traditis divinarum literarum elicere. Sed & minus atrociter exclamare poteras velut ignominiajuri naturali illata, qvod adversarius dixerat: non ad jus naturale, sed ad Theologiam moralem spectare hanc thesin. *Deus est finis ultimus omnium nostrorum actionum.* Sane qui obligationem juris naturalis ab ipso Deo creatore, ac generis humani moderatore expressis verbis derivat, ex quo conseqvens fit, obsequium ei legi ob reverentiam & juslum creatoris præstandum esse; is qvid injurium in Deum aut legem naturalem dicat non capio. Oportet vero palato admodum absurdum esse, qvi deliciis istis distinctiuncularum non capiatur, juxta qvas philosophia Christiana theologiæ subordinatur *non ratione thesium, sed hypothesum, nec essentiæ aliter sed accidentaliter, qvo ad bene esse, non qvo ad ipsum esse.* Ejusmodi nimirum jentaculo reficitur stomachus è vespertina cerevisia languens. Sane & iisdem elegatiis antecessorū tuum M. Irū Perlirū se jactasse crediderim, è cuj9 eruditione tua philosophia plus trahit, qvam è Melanchthonis aut Camerarii scriptis, in quibus parum aut nihil eiusmodi distinctionum occurrit. Qvi &, dum vetera statuta vestræ Academiæ reformati, non eo fine Aristotelicam philosophiam commendarunt, ut in omnia secula seculorum homines eidem mancipio addicti manerent, etiamsi meliora & nitidiora posteriorum temporum ingenia invenerint: sed qvia, cum melius philosophandi genus tunc cognitum non esset, præstare ducebant ipsos Aristotelis fontes adire, haut paulo impidiores, qvam lacunas Scholasticorū, à quibus tua philosophia non nisi gradu sordium differt. Uti autem in omni eruditionis genere mera miracula edis, ita in grammatica & critica teipsum superas. Dum enim locum Virgilii à te præter mentem auctoris, addo, & invita latinitate defensum is, tradis *levare* propriissime significare idem qvod *attollere*, in quo significatu tibi quoque id adhibitum dicis. At quiccum attollere in propriissimo significatu sit ex inferiore loco in sublimiore movere, qvaro qvas machinas adhibuerit Erynnis, ut cœlum ex eo quo nunc situm est loco in spatio imaginaria, aut in aquas supra cœlestes protrudere potuerit. Nam ut *attollere & commovere synonyma* sint, grammatici virgas potius tibi intentabunt, qvam id credant. Porro non paulo accuratius Belgum tibi & Anglia, ne de aliis regionibus dicam perscrutanda fuerit, an non plures dentur, qvam tu adducis, qvi de perfectione protoplastorum dubitent, è quibus & percontari poteris, num tua sententia è Christianorum numero excludi se velint. Inscriptio Erotis tui qvod tibi placeat non miror, cum paremisti nemo adhuc invenerit. Ad finem tamen properanti tibi recte plurima sicco pede transiliuntur, ac unico duntaxat vocabulo damnantur; id qvod ad victoriā tibi sufficere potest, cum nemo eruditorum sit, qvi judicio tuo non assurgat.

Utautem toto scripto putidum nugatorem egisti, ita in per oratione demum gravitatem talari pallio dignam exhibes. Dicis adversarii scripta te haut *turbare* aut *perturbare*, multo minus *lædere* valuisse. Nimirum qvia nobis sycophantis, qvi calumnias alteri intentamus, ac absurdissimas lites movemus in-

chalybem frons induranda est, ut etiam apertissime calumniæ convicti erubescere nesciamus. Etsi tibi in vicem totius faciei bilibre nasi rostrum erubescendi officio perfungitur. Recte vero tu, & ex more meo, eorumque quos malevoli alcera sacri ordinis vocant, quod ea alteri objicis, quorum ipse maximus es, imo quorum ipse alteri necessitatem attulisti. Sane nisi ego adversario haereseos calumniam per invidiam aut ob inclarescendi cupidinem, impingere instuissem, tot scripta lucem non adspexissent, quorum magnam partem cloacæ iterum absorpsent. Ac nisi tu extremus omnium prælio excedere voluisses, plurima auditu ingrata declinare licuisset, Sane adversarius non absurde sibi jaetare videtur; ab isthac certaminis genere se quam maxime abhorrentem in arenam pertractum. Famam sibi suam fuisse defendendam, ni salutis suæ proditor esse vellet. Quia adversus ipsum artes honestis viris indecoræ sint adhibitæ, simul ruditatis & ineptiarum in nostris scriptis tanta seges occurrat, non potuisse non pro cuiusque meritis atque captu salem defricandis nobis adhiberi. Statim atque nos conticuerimus, se ne verbum quidem additurum. Interim merito nobis occini illud: hypocrita, ejice prius trabem ex oculo tuo. Et longe potius sibi jus esse ad existimationem & scripta sua defendenda, quam nobis ad ista per calumnias & ineptias oppugnanda. Sane si verum fateri velis, ea veneni malignitate scriptum tuum imbutum est, ut nemica bilis toto peccatore tibi superesse videatur; ac longe plura evomere animus ardebat, ni ingenium calamusque deficeret. Sed & mitius irasceris, si cogitare velis, te, cuius principium manus est theologiae ancillam comere, hautquidquam arrogare tibi posse privilegium illud, quod supra mihi vindicavi, ut alios quidem tuo jure infamare possis, illos contra hiscere nefas sit, ni unctos Domini violasse argui velint. Eum tamen morem, quem unus & alter etiam ex nostro Ordine usurpavit, quo minus sequaris non intercedo; ut nempe semel arrepta mordicus defendas, ac convictus licet contra calcitrare & baubari non desinas, ne si crepandum quidem sit. Scripterit sane Augustinus libros Retractionum: sed eo ipso, dum humani quid à se non alienum agnoscit, dignitatem episcopalem fædissime prostituit; sic ut si nunc è mortuis resurgeret, & Baccalaureatus theologiae dignationem ambirer, non sine increpatione repellendus sit. Nobis vero longe generosior esse animus debet, & quia scientia nostra admodum superficiaria est, qua soliditate rationis non possumus, pertinacia & impudentia perrumpendum est. Ac nisi auguria mea fallunt, jam quod hactenus tanto studio contendisti, asscutus videris ut adversarium demum ad silentium redegeris. Neque enim credo vel verbulum ad epistolam tuam repositurum, præsertim cum ego jure amicitiae, ac pro autoritate, quam mihi velut sumimus Induperator in commilitones meos mihi vindico, eam ita emacularim, ut supervacuum sit circa eandem castigandam plus operæ adhibere. Quod autem paulo austerior tecum egisse video, nec strabonem pætū appellarim, ideo æquiore animo tibi ferendum fuerit, quod ne meos quidem, dulcissimiique privigni nævos dissimulaverim.

Qvan-

Quanquam autem epistola tua, mi Alberte, talis sit, qualem hucusque obiter ostendi; non parum tam
splendoris eidem accessisse video è purpureo assumento Clarissimi Seckendorfii, qui nullo à me autoramen
accepto volonem sese ulro mihi obtrudit, laureolam quoq; è glorioso hoc certamine captans. Quod
præter iucomparabilem eruditionem, qualem elogia tua exprimunt, etiam ad nostram causam attulit stantes
in curribus Æmilianos, & Curios jam dimidios, namq; minorem Corvini, & Galbam auriculis nasoq;
carentem. Acest sane quare cornua sumamus, postquam id genus viri sub signis nostris militare anhelant,
ac post totam ætatem in aulis exactam pulvere nostro decori incedere gestiunt. Fateor tamen è viri istius con-
junctione solidum me gaudium non percipere. Nam longe langvidius rem gerit quam pro lege nostræ disci-
plinæ, ac pungere quidem conatur, sed telum imbelle sine ictu conjicit, velut, irritare in se adversarium me-
tueret. Nostris autem copiis non congruunt langvidi isti pugnatores, qui modestiæ imitamenta tam anxie ex-
primere student: sed quo impudentior quisque est & maledicentior, eodignorem inter heroes meos locum
fortitur. Sed & quis gradus in nostro exercitu ipsi sit assignandus haut adpareat. Sane privignus meus loeo ipsi
cedere præfracte abnuit; quod hautquam generis hic & dignitatis rationem habendam contendat, sed
prout quisque de causa communi meritus sit. Se autem scripto suo nostræ causæ tantum splendorem addidisse,
ut vix reprimere ipsum potuerim, quo minus Nic. Beckm. super digniore loco controversiam moverit. Sed
& metus ast, ne idem nobis eveniat, quod olim Argonautis ad vellus aureum rapiendum profectis, quibus ini-
tio Herculem socium adscivisse egregiū videbatur. Mox tamen cum ad pareret, quacunq; is parte navis con-
sedisset, eam pondere tanti herois deprimi, periculumque esset, ne ista forte pondere in unum latus nimis
inclinante everteretur; simul invidia cæterorum gliseret, ne iste & prædam, & totam ejus expeditionis gloriam
sibi soli vindicaret, in terram istum exponere latius duxere. Igitur id quoque exemplum imitabimur, & ne
præcepta loci prærogativa veteranos nostros duces protelemus ipsum rogabimus, ut certamine nostro exesse
dignetur, & alibi gloriæ materiam querat, cuius ipsi heic exigua spes ostenditur. Nam quæ solidi quid habe-
bant controversiæ ad nauseam discussæ sunt, ac dudum nil aliud nobis agitur, quam ut calumniis & maledictis
adversarium obruamus; in quo longe utiliorem navare operam Wildschyssius meus potest, quam vel præ-
stantissimus morionum. Interim pro studio in nostras partes, oblataq; opera maximas gratias agimus, ac si à
me olim præda interlocios dividetur, eximam ipsi portionem seponere haut omitremus,

Sed & alios video certatum advolare, ut militiae nostræ nomina dent; quos inter cum primis manus in
pugnam pruriunt Anonymo isti, qui adversarium modestiæ castigatione admonendum suscepit. Ubi non pos-
sum non summa animi voluptate perfundi, quod meo exemplo totallii delirare instituant, ac non secus quam
olim tota Græcia bellatores ad oppugnandam Trojam tuant. Quibus sane a propriis rebus multum otii o-
portet esse, ut aliena curent, ea que quæ nihil ad ipsos attinent; nisi forte in privignum meum invidia stimu-
lat, cui gloriæ confetti hujus belli præcipere velle videntur. Quæcunq; tam libido istos agitat, sane voti mo-
jam damnatum duco, ac meo jure vindicare mihi possum verba muscæ illius temoni insidentis; quantum
pulverem excitavi! Num autem bellator iste nostris numeris sit adscribendus, in utramque partem ratio-
nes sese ostendunt. Sane iste si quis unquam, nativæ latinitatis indolem exprimit, ac Tacitum ipsis cum offi-
bus digessisse videtur, ita ut etiam rebus per se clarissimis tenebras affundere, & sordidos capillos calamistris
inurere calleat. Sed quantumvis maximi ipse cothurnos aut grallas suas æstimet, potior tamen mihi privign
mei stribiligo ducitur, quam anxie affectatus iste & contortuplicatus stylus, saltem ad præsentem usum, u-
bi non nisi de calumniis & convitiis spargendis agitur. Prout merito notabatur vesania illius luxuriosi, quæ
excrementa corporis misero auro excipiebat. Et turpe est difficiles habere nugas, ac tristis labor est ineptia-
rum.

Eo tamen nomine cum primis idoneus nostræ militiae est, quod in eo insigni
animi acerbitas, & maleficendi libido relucet, citra quas animi dotes nemo nostris sui
signis cum gloria militare potest. Tam infensum enim se adversus vitum, nulla quod sciam inju-
ria ipsi cognitum ostendit, velut si dentibus eum lacerare vellet; & præter alia immodesta publicus modestiæ
doctor canis vocabulum ita saepe in ore habet, ut canum præfecturam, quam Teutonici Vogdeiani vocan-
vel possidere, vel affectare videatur. Sic ut fœdis animi motibus vel cum privigno meo paria facturus spe-
retur. Nec minus ea virtute, quæ mihi meisque tantopere excolitur, exsplendescit, ut etiam benedicta mal-
tiosa detorquere, ac incitiae subinde quid calumniis suis adsperrgere calleat. Veluti quando scribit, ipsum
epistola nuncupatoria ad Principem Svecia tam inconcinnu ratione huic blanditum ut pridiane atque à Ga-
lavikna demum familia accepta nuper nobilitatis Sveciam arguat gentem, uilem atque obscuram in-
eiusq; Germania Principes projecto ad Cimmerias tenebras populo lucum splendoremque attulissent, egred-

in nationem, cuius is sumtibus alitur, & præsertim in maximum Regem Trollana Gentis postremum (Gustavū Adolphum) injuria. Conferamus cum hisce ipsa adversarii verba, ut adpareat, istum in artificio calumniam di ne mihi quidem concedere velle, Reges, inquit, è Gustaviana familia, è cuius ramo Celsitudo Vestra Regia prosapiam dicit, fortitudine & prudenti regimine hoc regnum & hanc nationem ex valde afficto statu (id enim innuit Teutonicum vocabulum schlechien Zustand) ad magnam gloriam & felicitatem proveyere. Ne de aliis assumentis dicam, qvibus iste hæc adversarii verba infami arte interpolavit, & qvæ in omnium oculos incurunt, id cum primis turpe est homini ad carpenda alterius scripta provolanti ignorare, qvæ in Svecia vocetur familia Gustaviana; qvæ nequaquam à Carolo Gustavo Palatinæ stirpis Rege, sed à Gustavo I. è VVafiorum profapia originem duxit. Par inscitia est Gustavum Adolphum postremum Trollanæ gentis dicere cum Trolliorum gens Danica sit, adhuc ibi superstes, qvæ & aliquando in Svecia floruit, nunquam tamen ibi sceptro potita. Nec minus ignorasse videtur, gentem Svecicam ab afflictissimo statu, in quem per intestinas discordias & Danorum machinationes prolapsa erat, virtute & felicitate Gustavi I. erectam. Sed ita celsitate solent, qui tam inconsulto impetu ad arrodendos aliorum labores ruunt. Qui porro profitetur, adversarii scripta sibi tantopere sordere, præsentissimum quidem remedium fuerat eorum lectione abstinere, qvibus forte etiam citra ipsum lectores non deerunt. Aut si utique curiositas & cavillandi libido ipsum eo rapiebat, admota naribus particula è privigni mei opere nauseam dispellere poterat, qvod nil nisi messem Sabæam spirat. Nescio tamen an nasus tam delicatus nostræ militiæ admodum congruat. Nam si in hoc bello operæ pretium facere velit, necessum fuerit commilitonum suorum scripta evolvere; qvæ sane mephitim haut valde delectabilem exhalant. Id quoque habet cum privigno meo commune, qvod uti is nuperam adversarii de Christiana religione commentationem è Postillis de promtam mira perspicacia deprehendit; ita & iste Chronicon Svecicum hebdomadariis relationibus non paulo melius magno cum supercilie pronuntiat. Nec dubium est, qvin horum in Diuum virorum judicio omnes eruditæ sunt adqvicturi. Id quoque non possum non summopere commendare, qvod scriptum istud in publicum haut prodiit, nisi prius ab aliquo nostri ordinis aqua lustrali circumlatum. Qvanquam enim ipsi nullus pudor erat famosum libellum velut inauspicio in lucem emittere; famelicum tamen bibliopolam Lipsiensem, cui is imprimendus offerebatur, nonnullus conscientiæ scrupulus vellicabat, velut tam scabiosi scripti obstetricatione in aliquam flagitiū partem venturus esset. Qvia tamen lucelli, qvod è distractione earum chartarum sperabatur, jacturam facere haut placebat, è nostro ordine adibatur, non mediocri sapientiæ opinione turgidus, qui adprobatione sua omnem bibliopolæ dubitationem abstergebatur. Qva quidem in re *veneratiæ talaris dignitatis* ab utraque parte rite litatum esse agnosco. Nam & in gloriam nostri ordinis redundat ista perswasio, nostram ad proportionem etiam flagitosissimis negotiis *venerationem* adspergere, & qvæ iisdem adhæret labem purgare, it censura theologi accidente libellus famosus non minus turpis esse definat, quam gratiofa Monarchi illius benedictione accidente immersa aquæ perna inter carpiones referenda erat. Ac non timide muneric theologicæ leges interpretatus est iste Censor, qvod inter has esse agnoverit inutilia litigia serere aut alere, & conciliatoribus atque sycophantis pollicem premere. Haut pauciora tamen sunt, qvæ mihi, n. hoc Candidato nostræ militiæ non parum dispergunt. Nam mihi cui in conspectu Orbis urere dudum glriosum fuit, timidi ejusmodi & nimium & circumspecti veritatis confessores parum æstiantur. Et qvamdiu nomen mihi tuum incognitum est, dubium est, inter gregarios an ordinum ductores recessi debetas. Equidem fama de Sybota quoq; & Napferno sibilat. Sed mihi nomina ex hara aut culina petita non placent. Potius arrident auspicata nomina, qualia Romani in censu aut scriptione militum primo ponere oco gaudebant. Ac si è nominibus omina duci fas est qvas palmas sibi non promittere debent Josuæ, Nicolai, Valentini? Qvibus accenseri possit privignus meus Severinus, nisi qvod Cicero de Verrutio dicebat, auda in luto demersa esset. Id quoque plane præter meam sententiam, qvod iste in calumniando aut contumaciam modestiam quandam adhiberi posse aut debere arbitratur. Quid enim? iste mihi & theologo, præili, & qvod maximum est, Schwartzio præscribere audeat, quo usque mihi farendum & tumultuandum sit? vi in furore & stultitia nihil modicum esse debere, nec cū ratione insanendum arbitrari. Etsi non intercedo, vo minus adversario eam modestiæ & moderationem inculces, eiq; persuadeas, *veneratiæ talaris dignitatis* l se debere, ut licet atrocissimis à nobis injuriis affectus dejectis tamen ad terram oculis velut in bellis ovula adstet, nec vocem adversus allatratores emittere audeat, ne nos forte inter calorem disceptationis ienacii, aut calumnias, vexaniasque convincat. Id quoque òmen plane despiciendum est, qvod adversarii

tinm

gium ob me clava prostratum & per triumphum traductum Schwartzici cognomentum assumere posse ostendit. Id vero Dii prohibeant, ut cuiusquam mortaliū in mentē veniat me cuiusquam mortaliū succumbere posse, quin non minus quam Papam fallere me nesciū jactem. Ne quæso me omine tanto prosequere in duri certamina Martis euntē. Accedit quod qui militē scribunt, haut temere assecurare soleant, eos, qui contagiosi suspicione morbi laborant, ne forte tota contubernia per istos inficiantur. Atqui è toto scripto patet, mīro istū pruriginis genere laborare, cū id unice agat, ut caput ipsi totumq; corpus haut superfunctorie scalpatur. Mihi vero imperatorium haut videtur, munificē militē istius scabiei titillandæ adhibere. Sed quod præcipuum est, si vel maxime suspe-ctæ valetudinis hominem militiæ nostræ adscribere placeret; haut tamen adparet, quænam isti munia sint assignanda. Nam quæ solidi quid habere videbantur controversiæ, ad fundum usque sunt excusæ; ac dudum nil aliud nobis agitur, quam ut centies eructatas calumnias revomamus, ne plane ad silentium redacti videamur. Enimvero ut circa rem ipsam operæ quid conferat ab isto haut affectari video; sed uti frontispicio schædæ præfixa sententia insinuat, *maledictis* duntaxat adversarium impetrare instituit; quorum & jam tantum specimen edidit, ut adversarius immodestia argui non posset, si scurræ & sycophantæ elogium in os ipsi retoriqueat. Cum tamen eas partes privigno meo jam detulerim quæ & ita egregiū eo in genere se præbuit, ut inprobum sit sperare, abs quopiam tetrius quid profetti posse; igitur vitrinalis pietas me prohibere jubet, ne quis tanti ingenii luminibus obstruat His rationibus in utrumque partem liberatis de consiliis bellici sententia pronuntio, istum in nostra in militiam adscribi non posse. Quod si autem utique maledictis inclarescere cupit, svalerim, ut proprio nomine bellum adversario nostro faciat. Ne tamen latronis, aut nocturni furis more grassari, sed solenne bellum gerere velle videatur necessum fuerit, ut causas belli publico scripto Orbi adprobare conetur; tum ut feialem ad res repetendas prius mittat, amicæq; compositioni paratum sele ostendat. Ubi omnia æqua repudiata fuerint, tunc demum caduceatur aliquis mittendas fuerit belli indicendi causa, cui muneri commissime videtur adhiberi posse è muribus Homericis Embalichytros Tyroglyphi filius. Hoc modo & nobis nostra præda, & ipsi sua illibata manebit; nec minus ingruenti è diversis partibus hoste tandem aliquando succubiturum adversarium spes est.

Enimvero me circa asperandum bellum quam maxime fatigantem non parum refrigerat Slevogtius quidam Jenensis, qui somnia sua, quæ in parnasso videntur, nobis recitat, ac judicia sapientum, quos inter is hactenus illustre nomen gessit, interprete Melanchthonne promulgat, lepidæ admodum inventione, & cui parem respublica literaria ignorat, nisi quod nonnullos Lipsiæ simiæ cavillari inaudio. Scilicet nunc demum *Tertius ē celo cecidit Cato*. *Felicia tempora, quæ te moribus opponunt; habeat jam Roma pudorem*. Sed credas mihi velim, mi Slevogte, nil affectata tua gravitate putidius est. Nam mihi meæ similibus, ut Curios simulemus, ipsa vestium forma decorem conciliat, quem tu aliquæ breviore pallio, & quod totum nequam tegere non potest, si imitari conentur, & que ridiculi videbuntur, ac si gravis persona simiæ agenda detur. Ac metuo, ne tibi usi veniat, quod Musonio Rufo apud Tacitum, studium philosophiæ & placita Stoicorum æmulato, qui cæptabat permixtus manipulis bona pacis ac belli discrimina differere, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus tædio: nec deerant quæ propellerent, procularentque, ni admonitu modestissimi cujusque, & aliis minitantibus omisisset in tempestivam sapientiam. Ac sane mirum est, quomodo tam modicum per vigilias operæ pretium facienti ita lepida commenta per somnum obvenire potuerint, ni dicere velimus, inter auditorii solitudinem somnum aliquando obrepisse, ibique tot per annos compressam in ventre sapientiam uno impetu erupisse, postquam nemo eandem audire dignatus fuerat. Satis tamen video, quæ parte calceus ipsum urgeat. Nimirum è meo bello compendiaria via ad claritatem nominis grassari cupit; sed declinans vulnibus in caduceatoris habitum deformatur, quasi pacis inter partes conciliator. Ast tam vili pretio isti non comparabitur gloria, quæ tot cicatricibus mihi emta est. Ac quo diutius eundem contemplor, eo ignavior mihi videtur, degenere blandimento hosti adrepens, ut furtivam sicam vibrare possit. Quod genus pugnæ cum latrocino simile sit, partes nostras aperatum fuorem professas infamaturum; si utique manipulis meis admiscendus fuerit, ad modum Sangæ apud Comicum non nisi peniculo portando idoneus habebitur, qui abstergeat vulnera. Sed & ita ambiguum se gerit, ut ab utra parte stare ipsi placeat vix dignoscere detur. Atqui si me prævignumque meum & alios meorum partium maledicendo & calumniando modum excelsisse arguere audeat nosse debet, temerarium valde esse credere à me fastigii hominibus patrari quid posse reprehensione philostrophastri digum. Nam quantumcunque insaniamus id omne obtentu facrosancti munera, veritatisque orthodoxia uenire excusat, & quo magis ad infamandum & perdendum adversarium incubuerimus, eo conspe-

etiore Zelo domus Domini flagrare censebitur. At si adversario perinde possum, ut ver plane obmutescat, vel tela nostra molli duntaxat brachio repellat, magnam quidem gratiam à nobis iniverit. Sed vereor ne oleum operamque circa illum perdat, cui fixum sedere novi, obterrificulamentum togæ nostræ existimationem suam haut prodere. Nec dubito, qvin idem huic, quod multis antea ingesturus sit: Sibi nunquam propositum fuisse ullum mortaliu. n lacesiere sed spartam, quam tunc nactus fuerat, pro virili ornare studuisse. In studiis tractandis in cujuspiam veteris Magistri verba jurare deditum; nec piaculum duxisse pedem ulterius proferre conari, quam qva vulgi vestigia viam calcaverant. Mox cum cæteros circa se paululum a tergo relinqvere velle videretur, invidiam in ipsum exortam, quam mea ac socii mei Nic. Bockmanni opera eruperit. Eo gravius autem ipsum nostro scelere commotum, quod non tam eruditio quam salus sua impugnatur, impactis gravibus circa dogmata theologica erroribus in ea regione, ubi talia ludere non licet. Ac eo fervidius repellendi debuisse criminationes, quod metus esset, ne levi brachio rejecta agnita viderentur. Simul sycophantarum artibus grassantes haut perfuisse tractari, sicut cum eruditis & honestis viris agidecer. Nec minus styli indolem ad eorum, qui ipsum impugnarunt captum attemperatam. Nam Bockmannum non rudissimum solum & pessimum mortalium, sed & morionem professum fuisse. De Gesenio cum fato functus sit, silentio involvi. Velthemium nil nisi vocem fuisse, non qualem luscina edit, sed qualis crebro ante portam Thomanam apud vos auditur. Strimesium, & Zentgravium non habere, quod querantur, quibuscum rationibus certatum. Albertum asperius habitum non ideo tantum, quod easdem mecum artes adhibuerit; sed & quia vitilitandi finem nunquam videtur facturus. Et cum jam è simetis prorepentes scarabæi ipsum circumstrepant, (etiam me non monente privignum meum indigitari intelligis;) quid mirum, si & placidissimi vir ingenii asperioribus talitris importuna rostra protelet. Uti autem ad defensionis innocentiam non necessum est ictus ab adversario intentatos duntaxat eludere, sed & hunc inflictis vulneribus debilitare haut nefas habetur: ita in literario certamine non objecta solum diluere satis est, sed & importunis censoribus proprii nævi deteguntur. Tum uti in bello quivenenatis telis utuntur, durius quam honesti milites tractantur; ita qui calumnias, mendaciis, verborumque ac sententiarum malitiosis corrupelis & interpolationibus rem gerunt indignari non debent, si ista omnia propriis vocabulis exprimantur, adspersis quoque jocis & scommatibus adspersis ne id honoris iis exhibeat, velut suis tumultibus ipsum animi quiete excusserint. Evidem dolendam esse conditionem eorum, quibus cum per totam vitam nil aliud actum sit, quam ut publico inserviant, ea gratia rependitur, ut à nanci hominibus convitorum & calumniarum sentina publice perfundantur; ferendam tamen eam virtutis sortem; ac istas molestias abunde pensari tum optimæ voluntatis conscientia, tum bonorum favore & judicio & quod latratores istos nullum aliud præmium maneat, quam ut improbitas eorum publicæ detestationi exponatur. Cum igitur à neutra parte magnam videatur gratiam initurus, svaserim, ut macilentam tuam sapientiam incassum ne prodigas, tuarumque reruni satagas, ac solidis potius artibus inclarescere instituas, quam ut profligati dudum belli ingloria accessio fieri velis.

Venique & audio VVitebergæ diaconum quendam male fano capite huic se certamini obtrudere conatum. Nomen non succurrit; credo Hartungius, an Axungius vocabatur. Qui & palam è cathedra sacra adversarii nomen, egregio in publicum exemplo exprimere non erubuit. *Quid Domini Doctores facient, audiens se talia fures?* Sed non est quod credat, ideo se à me in societatem sacri nostri commilitii adscendendum. Delectus sane bellatorum est habendus, ne omnia purgamenta suorum ordinum in hanc militiam velet in sentinam confluant. Igitur res tuas age, mi diacone, ac vide ut ita delires, ne aliquando toga talari, & fistuloso collari exuaris. Ea enim sola sacerdotale quid præ se ferunt; iisdem detraictis quantus quantus latro es. Namquod putas adversario meo curæ fore, quid tu è ligno tuo gannias, frustra es Novi hominis ingenium. Qualis ipse ego habeat, tantus Præsul è scriptis ejusdem judicare potes. Et tamen tu longe infra privignum meum mihi æstimandus videris.

Hæc habebam, mi privilegue, quæ circa nostra, sociorumque scripta monenda videbantur; quæ ideo publico non invidenda judicavi, quod vix credam adversarium ita prodigum temporis sui fore, ut iisdem discutiendis horas aliquot impendere velit. Eo igitur jam demum ad silentium redacto, plenis fauibus iopæan! à toto nostro exercitu exclamandum fuerit; quem bello feliciter confecto, præda onustum sacramento jam exsolvo. Sed mihi fascibus depositis ad privatam vitam reddituro volupe erit decora mea tecum recensere, mutuusque plausus dare quod unus alteri amplum satis malitiae ac cruditatis theatrum sit futurus. Bene vale, meum delicium, nate, meæ viæ, mea magna potentia! Dabam Slesvigæ è palatio meo Episcopali d. 18. Aug. Anno 1688.

2009, P. 009596

JOSUA SCHWARTZIUS D.